

SCHOLAE

SEMESTRES,

IN

CAESAREA UNIVERSITATE
LITTERARIA,

QUAE DORPATI CONSTITUTA EST,

A D. xxiii. IUL. ANNI cIoIccccxxiv.

HABENDAE,

INDICUNTUR

A

RECTORE ET SENATU ACADEMICO.

INSUNT

CAROLI MORGENSTERNII

IN NUMISMA BASILII TSCHERNIGOVIAE NUPER EFFOSSUM

CURAE SECUNDAE,

AD SUPPLENDAM COMMENTATIONIS PARTEM I. II.

.....

DORPATI,

EX OFFICINA ACADEMICA I. C. SCHÜNMANNI.

*

CAROLI MORGENSTERNII
IN NUMISMA BASILII TSCHERNIGOVIAE NUPER
EFFOSSUM

CURAE SECUNDAE,

AD SUPPLENDAM COMMENTATIONIS PARTEM I. II.

PROOEMIUM.

Δεύτεραι Φροντίδες σοφώτεραι est saltem in proverbio. Quae de numismate Basilii nuper commentatus sum, quum plures, quam speraram, nacta sint patronos, ex parte etiam adversarium paullo acriorem: ante omnia opera danda mihi videbatur, ut, quae proposui, obscura epigraphae probabiliter lecta atque explicata stabilirentur ac confirmarentur. Quod aliter fieri non posse videbam, nisi numismate ipso inspecto manuque tractato, quo certius, quam omnibus ectypis et adumbrationibus, plus minus quacunquē de causa mancis, de vera litterarum singularum lectione constaret, cui soli veri similis superstrui posset interpretatio. Itinere igitur Petropolin facto, mense huius anni Iulio, facile, quod volui, sum consecutus, in Numophylacio Caesareo archetypum curiose explorans, cuius adspectum quoties vellem repetitum humanissime concederet, qui lautissimis illis copiis summa cum laude praeest, amicus antiqua fide probatus, KOEHLERUS. Itaque iam, antequam tertiam darem commentationis partem, qua Katschenovskii hypothesin studui refellere, satius duxi cum lectoribus communicare has curas secundas, quibus non pauca retractentur, etsi

CURAE SECUNDAE.

I.

*Lectio ΥCCEPAHEA reiiicitur. Contra Montefalconium disseritur. Ex comparato ectypo inaurato
Musei Rumanzoviani quaedam firmantur, in eodem exemplo vitia quaedam indicantur.*

Typis vix descripta erat commentatio mea, quum, quod ipsi mihi minime sufficerent quae P. I. §. VIII. dixissem de obscura epigraphe, eius legendae novum facerem periculum. Cuius studii primus fuit fructus, quod reiiicerem ΥCCEPAHEA, cui nihil aliud inesse putassem quam Ἰσραήλ. Nempe in *MONTEFALCONII* Palaeographia Gr. p. 170. iam forte incideram in sigillum antiquum, ubi in nominis KAIOY compendio littera I formam haberet, quae incurva accederet paullulum ad formam C, quanquam Montefalconius, ut post vidi, rem alio modo explicat, id quod mihi littera I esse videtur, habens pro lineam, quae sit singularis quaedam compendii ratio, quod exemplis non satis probavit, quum in addito Latino Q((nempe Quinti) omnino esse possit I, mihi quae ibi nihil aliud esse videatur. Ut igitur in illo sigillo apud Montefalconium litteram I incurvatam censebam, idque maxime ob sequentem litteram C, qua incipit nomen CEBEIAIOY, qua, ut fit nonnunquam scribentibus, attractione quadam prior littera a recta linea deflecteretur: sic fere in nostro etiam numismate factum esse suspicatus, iam litteris CΕΡΑΗΕΛΑΙΙΗ inesse statuebam ΙΕΡΑΝ ΕΛΑΙΑΝ. Atque hanc coniecturam ipse communicavi cum *FRANCKIO*, Collega doctissimo, d. 18. April., eo ipse die, quo ei roganti tradidissem ectypum e lamella stannea factum numismatis ante nondum ab eo inspectum, idque antequam ipsius ratio epigraphes difficilis legendae mihi posset esse cognita. Quapropter ego miratus sum, eundem sic, ut facit

p. XX. dissertationis aliquot menses post meam commentationem editae ¹⁾, improbare lectionem per me propositam, quam coram ipse iam reiecissem: non quod vox Ἰσραήλ mihi incongruens videretur in hac epigraphe, sed quod loco alieno, ubi reliquis haud esset apta, per me sumptam cernerem, et quod insuper insolitam illam protractionem vocis ex vitiosa scribentis pronuntiatione quodam modo excusatam aegre ferrem ipse. Miserat mihi interea amicus quidam Petropolitanus ectypum gypseum, eiusdem puto generis, quale *TYCHSENO* Petropoli erat missum ²⁾. Quo ectypo difficultas legendarum litterarum in fine inscriptionis augebatur magis quam minuebatur; ubi statim suspicabar, ab eo, qui ectypum gypseum fabricasset, plura in illis litteris commissa esse peccata. Ab alio igitur amico Petropolitano, *KRUGIO*, ut stanneum mihi mitteretur ectypum, petebam. Qui quum casu moratus esset quod petiissem, postquam Petropolin perveni, primam statim post salutationem mihi tradidit Vir integerrimus, quod in usum meum iam seposuisset exemplum ectypi e metallo facti, inaurati, quod esset e Museo excellentissimi Comitis *NICOLAI RUMANZOVII*, Imperii Cancellarii. In egregio hoc exemplari plura iam observavi rectius atque accuratius expressa, quam in illis, quibus adhuc essem usus. Certum iam esse videbam, post *APNIO* sequi non *Υ*, sed *K*, sequentem autem litteram esse *8*, non *V*, ultimas litteras sine ulla dubitatione legendas *TI* (non *ΥI*), quas excipit crux inter initium et finem epigraphes interposita. Illud tamen in deaurato exemplo valde mirabar, male abesse supra caput monstri lineolam illam perpendicularem, quae aderat in stanneo illo, quo primum usus eram, neque deerat in gypseo. Magis etiam mirabar, quod in deaurato ante vocem *ΔΡΑΚΟΗ* non adesset, quod quaerebam, *C*, sed potius *⊙*; qua in re iterum vitium ab eo, qui ectypum curasset, idque sponte commissum, odorabar. Scilicet sic celare voluit damnum, quod archetypum aureum est passum, ferro secante ita immisso, ut vestigium appareat post litteras *OC* ante *ΔΡΑΚΟΗ*, penetrans in litteram *Ϸ* inscriptionis Slavonicae in vocabulo *СВОІЕМЪ*, sic fere ut redditum est in tabula aenea a *Katschenovskio* exhibita. Nec temere conceptam

¹⁾ Quae inscripta est: *Die Goldmünze des Basilius in St. Petersburg, erläutert von JOH. VAL. FRANCKE*, inserta fasciculo primo commentariorum studio *RAUPACHII*, auxilio potius quam laude sustentandi, edi coeptorum: (*Neues Museum der Deutschen Provinzen Russlands*, Dorpat 1824.) atque inde etiam seorsim typis descripta.

²⁾ Eiusdem generis dico, quum *Tychsenus* laudet *ΚΥΠΗΝΤΙ*, *Π* autem in gypseo etiam illo sit exemplari, ita ut utrumque ectypum gypseum, tum quod *Tychseno* Petropoli missum est, tum quod mihi, eiusdem quasi sit familiae, etsi minus probae, ut post explicabitur.

duplicem suspicionem statim intellexi, ut primum archetypi ipsius in Museo Caesareo visendi et tractandi desiderata fieret copia. Nempe adest omnino brevis illa linea fere perpendicularis supra caput non minus quam infra, illud ☉ vero nihil aliud esse apparet, quam eius, nescio cuius, qui exemplum illud inauratum confecit, commentum vanissimum. De damno autem illo ut verbum addam, fortuitum quidem dixeris huiusmodi detrimentum: non absona tamen videtur suspicio mea, ita plane ante vocem ΔΡΑΚΟΗ factum esse ab homine Diaboli fraudibus irato atque effrenato.

II.

Alia observata ex comparato ectypo inaurato Musei Rumanzoviani commemorantur; de Michaelis figura: cur sceptrum quasi fractum; de angelorum capitibus alatis disseritur et de aliis ornamentis.

De Satanae facie. De quibusdam capitibus pro Christi habitis. Contra Montefalconium et Benedictinos operis diplomatici auctores disputatur, etc.

Statim alia, quae observavi in aureo archetypo explorando ita, ut cum inaurato illo exemplo, quod ex Illustrissimi Cancellarii est Museo, accurate id conferrem, cum lecturis communicabo.

In archetypo aureo aream utriusque partis multo magis aequalem reperiebam quam in ectypo; et litterarum ductus multo distinctius expressos, et typorum lineamenta multo argutiora, atque omnino in numismate artificis manum pro illo aevo haud vilipendendam.

In antica facies S. Michaelis, quanquam nonnihil detrita, vultus offert bene dignoscendos, neque illos illiberales, eosque longe meliores quam in gypseis pluribus, quae vidi, ectypis. Dalmatica Archangeli nitide est picta; utriusque alae pennae satis distinctae. In globo crux insculpta est ita, ut facillime agnoscatur.

Labarum, dextra gestatum ab Archistratego, quod a capite longius remotum est, et quod sceptrum, cui impositum est, eam ob causam fractum videtur, id non mirabitur, qui reputaverit: nisi paullo longius illud abesset, fore ut aut caput cum caesarie sua non posset pure exhiberi, aut sceptrum omne nimis fuisset a figura remotum. Nunc quidem labari superior pars ita est disposita, ut ante nimbum appareat, eademque capitis ovati et capilli a vertice dirempti nihil occultet. ³⁾

³⁾ In armamentario Mosquensi est galea, reperta in agro Iaroslaviensi, quam saeculi XIII. esse putant. In ea S. Michael repraesentatur cum nimbo. Dexterà sceptrum tenet, sinistrà globum duplici cruce

Quae in ornamentis numi adversi orbem ambientibus pro angelorum capitibus alatis, et quidem una cum Viro summe reverendo, haberem, etsi obscurius significata ipse dixissem, negari non potest fieri utique posse, ut ea potius sint ornamenta ex plantarum genere; quam sententiam pluribus numismatis spectatoribus comperi praeferendam videri. Alas quidem in non paucis parvarum harum figurarum sic satis indicatas dicere ausim; at in agnoscendis capitibus, praesertim superficie nonnihil detrita, maior omnino restat difficultas. Quas arbusculas dixi, quae ab altero ornamenti genere alternae excipiantur, flores etiam dici possint, ita vero dispositi, ut vasis ansatis non ineleganter inter se copulatis inesse videantur. Quanquam parum refert, ex quonam rerum genere omnis haec ornamentorum copia desumpta putetur, quam statui possit alludere ad sacri festi sollemnitatem frondibus et floribus auctam ⁴⁾. De angelorum capitibus alatis, in quibus aptam ad laudatum *IESAIAE* locum allusionem reperisse mihi videbar, adiecisse libet *LESSINGII* verba in XXXIX. Epistolarum antiquarii argumenti prodita. „Si putas“, inquit, „me meae opinionis pudere, quia mihi ipsi ea sit deserenda, saltem non mecum ita putas. In antiquariis his studiis honorificentius nunquam est, veri simile reperisse quam verum. In illo enim excogitando omnis mens nostra gnaviter opus faciebat, in hoc agnoscendo fortasse nil nisi res casu feliciter oblata nos adiuvit.“

Quod grande numisma nostrum iam ectypo tantum conspecto non cusum dixi, sed fusum, ita quidem, ut torni ope nonnulla redderentur acriora et subtiliora, id archetypo tractato plane sensi confirmatum; ut in Archangeli alis, etiam in capillis a vertice divisis; ut in cruce globi, in Dalmaticae ornatu aliisque rebus.

insignitum. Vestitum Archistrategi inveni in ichnographia galeae illius Petropoli nuper ab amico mihi monstrata diversum a Dalmatica, qua in numismate nostro Michaël est amictus. Chlamys in pectore est colligata. Sceptrum, nisi labarum dicere malis, brevius est quam in numismate, et, quum a corpore absit magis, non incurvum. Figura Michaëlis in galea magis procera. Staturae brevitatem in numo qui forte miratur, videat mihi figuras Mauritiū Imp. et uxoris Constantinae in numo Chersonis apud *KÖHLERUM* (*Médailles Grecques*. A St. Petersburg. MDCCCXXII. tab. II. no. 14.) aut Theodosii Aug., Mauritiū filii, ibid. no. 15. Conf. Köhleri diss. p. 17. et 20.

4) Ut fieri solebat v. c. in dominica palmarum, ad quam referuntur *EPIPHANII* homiliae duae *περὶ βάλτων* (de palmae ramis), in quarum altera, ut obiter moneam, inter alia dicit orator, ecclesiam festa celebrare ut *oleam* fertilem in Dei domo, quae quum nunquam folia amittat sua, semper sit frondosa et umbrosa. Cui Epiphanius ipse forte ad manus non est, is inde excerpta conferat in libro docte concinnato: *Die ersten Feste der alten Christen, von D. Jo. Chr. Wilh. Augusti*. T. II., ut p. 63. 64. 70. 78. Symbolica vero loquendi ratio, qua nonnulli Patres ecclesiae abundarent, haud scio an artificibus Byzantinis persaepe suggesserit imaginum in monumentis varietatem.

Satanae etiam caput humanum ectypis deprehendi praeferendum in archetypo, ubi facies diabolica, licet hic etiam capillis a vertice diremptis, torvum quiddam habet, a Christi facie, quod quidam videre sibi persuasisent, longe diversum. Quanquam, si argutari liberet, Satanam in facie atque adeo in capillo comendo quandam quaesivisse dici posset Christi, ut olim efformaretur, similitudinem, quum *EPIPHANIUS* ⁵⁾ contendat, Diabolum serpentis formâ apud homines veri ignorantes se ipsum esse Christum dicere. ⁶⁾

Duplicem ansulam aurei numismatis eiusmodi esse animadverti, ut ex stanneo ectypo iam cognovissem, ita perforatam, ut aut funiculus aut catenae annulus commode transeat. ⁷⁾

De singulis characteribus olim dubiis in epigraphæ obscura, quales in archetypo examinando ego iam deprehenderim, ibi agam, ubi novam totius lectionis constitutionem sum propositurus.

5) *Contra haereses* lib. I. To. III., contra Ophitas, XXXV. haeresim, interprete *IANO CORNARIO*, p. 128.

6) Litteratissimus quidam amicus Petropolitanus mihi scripsit, contra sententiam meam, Diaboli esse caput in numismatis aversa, afferri fortasse posse, quod apud *MONTEFALCONIUM* in Monum. Monarch. Francogall. (*Monumens de la Monarchie Française*, T. I. Pl. XV.) in numis Theodorici, Chlodovaei III., Childeberti III. et Chilperici II. occurrant capita valde similia oblonga cum capillo ratione singulari a fronte dirempto, quae ibi pro Christi habeantur capitibus. Atque eadem capita ex saeculo VII. et VIII. ut imagines Theodorici, Chlodovaei III., Childeberti III. et Chilperici II. reperiri in opere: *Nouv. Traité de Diplomatie*, T. IV. p. 104. Cui ita hoc loco respondere liceat: primum, apud Montefalconium sermonem non esse de numis, esse de sigillis (sceaux) postremorum regum Merovingiae stirpis; tum, Montefalconium, an in sigillis illis Christi capita exhibeantur, an regum imagines, incertum plane reliquisse. Nihil enim de capitibus istis habet quam haec verba: „Sunt formae rudioris. Quatuor priora eandem habent figuram“: quod ne verum quidem est; accuratius enim examinanti vultus in quatuor his diversos esse singulos apparebit. In opere quidem diplomatico quatuor illa capita pro dictorum regum imaginibus habentur, simulque agitur (l. l. p. 105.) de more capilli in humeros promissi, quo usi fuerint reges ex Merovingia stirpe: quo loco, ut obiter moneam, ille certe, quem afferunt docti Benedictini, cum capite diademato eleganter scalpto annulus mihi non id, quod volunt (abolitum cum ultimo ex Merovingia stirpe rege illum morem) probare videtur, quum huius annuli figura ad aliud aevum aliudque artis genus, quam sigilla praecedentia, vero similis referatur. Quaestionem litterati amici quod attinet, quandam in facie longiore et in longiore capillo ad verticem diviso similitudinem reperiri in quatuor illis sigillis et in monstri nostri capite humano, non nego: haud magna tamen apparet rem curiosius examinanti, sed eiusmodi, in qua permultum restet dissimilitudinis. Equidem vel in quatuor sigillis istis artis Byzantinae saeculi VII. et VIII. vestigia agnosco, nihil amplius. De Christi igitur capite in Basilii numismate pro diaboli aliunde satis nobis demonstrato, neque e Montefalconio, neque ex Benedictinorum opere diplomatico probabiliter disputari ullo modo posse patet.

7) Quod de *vestigio* ansulae Franckius p. XLIV. dicit („*Spur eines Henkels, durch welchen ohne Zweifel die Schnur gezogen ward*“), nihil est. Ansula aurea duplex bene perforata adest integra in archetypo non minus quam in ectypis e metallo factis, ut de vestigio sermo esse non possit ei, qui disserat de re probe sibi cognita. Pro funiculo esse utique potuisse annulum catenae, videt quisque praeter eum, qui in minimis scit nimium.

III.

Ex comparatis pluribus numismatis ectypis quaedam colliguntur. Duae eorum statuuntur familiae.

Quod iis, qui sedulo in aliqua re conficienda navant operam, contigit subinde, ut, quae rem possint adiuvare, subsidia ultro offerantur, id mihi contigisse gratus agnosco. Nam praeter archetypum examinandi opportunitatem, et praeter illa, de quibus iam dixi, ectyporum exempla, datum mihi est beneficio Illustrissimi Imp. Cancellarii stanneum, aliudque eiusdem generis per amicum quendam mecum communicatum; oblatum praeterea gypseum humanitate Excellentissimi *OLENINI*, Academiae Imperialis Artium Praesidis, aliudque e sulphure factum ab alio quodam viro; post reditum vero ex itinere traditum mihi est Dorpati elegans exemplum inauratum, ex aere, ni fallor, factum, quod Museo, cui praesum, huius Universitatis litterariae dono humanissime nuperrime misit Eminentissimus maximeque Reverendus Metropolita Kioviensis, *EUGENIUS*. His igitur copiis usus, duas ectyporum quasi familias, ut in Codicibus conferendis fieri solet, constituere posse mihi videor: alteram genuinam et probam, degeneratam alteram atque ex parte spuriam. Ex peiore hac est ectypum gypseum, quod Petropoli eius rei inscius misit amicus; gypseum etiam illud, quod Petropoli missum est *TYCHSENO*; sulphureum etiam, quod possideo. In his in extrema parte epigraphes obscurae omnes litterae male expressae, ac littera Π nescio quomodo supposita etiam pro littera Η, quae est in archetypo. Vultus S. Michaëlis et capitis humani in monstro pessime redditi vel potius in deteriorem partem mutati, Dalmatica Archangeli, in archetypo nitide picta, in ectypo crassae opus Minervae. Ex meliore familia sunt tria stannea: primum illud, unde ex tenui lamella stannea expressum est exemplum illud, secundum quod facta est Senffii ichnographia; tum duo stannea, quae iam commemoravi; praestant inaurata duo illa, alterum ex Museo Rumanzoviano, alterum Metropolitae Kioviensis donum. In hoc tamen Archangeli vultus recentioris artificis manu pro libitu eius, non male quidem, at distinctius expressus, quam posceret archetypum; idem de monstri capite humano valet, ut in utraque re sit religiosior imitatio in deaurato exemplo Rumanzoviano, in quo quae sint peccata, indicavi supra. Quod litteras attinet epigraphes obscurae, praefendum est exemplum Rumanzovianum, excepto gravi vitio supra iam notato in corrumpendo C ante vocem ΔΡΑΚΟΗ, quod recte conservatum in nostro exemplo deaurato; in quo peccatum est in voce IOIC

ita, ut C, nitide, sicut in archetypo, expressum in exemplo Rumanzoviano, nimis prope accedat ad formam O. In archetypi voce sequente IHA male redditum est IHA; in fine pro TI, ut in archetypo, in exemplo Rumanzoviano aliisque legitur, in nostro inaurato male deprehenditur TI. Duplex ansula, si bene memini, in utroque exemplo inaurato est serrata distinctius, quam in archetypo. In eo autem grave vitium commissum in Musei iam Dorpatensis exemplo deaurato, quod recentioris artificis nescio cuius aut negligentia aut mala sedulitate omissa utraque archetypi lineola fere perpendicularis in monstro, quae necessaria utique est ad Christi monogramma argute significandum.

Quae in *SENFFII* nostri tabula aeri eleganter incisa reprehendi possint, in *Comm. p. XXVII. not. 36.* ex parte iam sunt indicata; in quo eo omnino excusatur artifex, quod ex solo exemplo lamellae stannae (Stagnol) delineavit id quod dedit, quum stanneum exemplum, ex quo lamella ducta est, petenti domino remittendum esset, antequam Senffius id conspexisset, eo tempore ubi nondum quisquam Dorpati cogitasset de numismate haud amplius anecdoto in aes incidendo. Archetypum atque ectypa quaedam meliora qui diligenter comparavi, iam addo, faciem Archangeli in archetypo multo esse longiorem aliisque praeditam oris lineamentis; nimbum esse acriter recisum, non, ut in tabula aerea, radiis quibusdam collustratum; superiorem Dalmaticae partem ab artifice Dorpatensi nonnihil mutatam, sceptri, cui labarum impositum est, formam rectiorem in tabella nostra, in archetypo curvam magis, crucis in globo figuram paullo diversam; in ornamentis, quae adversam numismatis partem ambiunt, plura non satis accurate esse expressa, angelorum autem, quae putaram, capita distinctius adumbrata quam in archetypo, ubi dubia omnino relinquuntur. In voce SPANOC littera A, in archetypo cum littera P arte coniuncta, in nostra tabella illi est dissimilis. In aversa monstri caput collo caret, quod in archetypo haud desideratur; pectus (quod mammam esse adhuc nego, cuius teres in archetypo rotunditas non adest, ubi ea tantum pectoris eminentia, qualis in mare exspectatur,) suis distinguendum erat papillis; perpendicularis fere lineola supra et infra, quia in tenui fragilique lamella stannae non omnis neque erat expressa, neque poterat commode exprimi, prodiit manca. In obscura epigraphe pro ΕΛΡΙΙΙΗ esse debebat ΕΛΑΙΙΗ (nam inest *ἐλαίαν*, ut ego certe nunc statuo, littera A imperfecte scalpta in archetypo); in sequenti ΕΛΛΗΟΗ quarta lit-

tera, ut ego nunc sumo, formam habere debebat R pro B adhibitam; in sequentibus ponendum erat non IHA, sed IHA; post, non IGIEOC, sed IEPEOC. Figura B male reddit A , quod volui, in archetypo sic fere A expressum. Post P in voce DPAKOH esse debebat A; in APHIO littera O non satis plene est repraesentata, nec satis quae sequitur K, nec sequens S, nec satis ultima KTI (nam haec, neque alia, adsunt in archetypo)⁸⁾. Quae afferuntur, non, ut artifex Dorpatensis reprehendatur, qui e lamina stanneo ex stannei exempli non satis asperi effigie ducto, quantum fieri poterat, probe effinxit, sed ut vero suus constet honos.

IV.

Supplementa et emendationes ad P. I. §§. IV. V. de lingua inscriptionis exterioris etc.; ad §. VI. de monogrammate nominis Iesu Christi; ad VII. de idolorum numero disseritur, Franckius refutatur; de mythologia Slavica nonnulla significantur.

Iam singulas Commentationis §§. perlustremus, alia addendo, alia mutando atque emendando.

Quod P. I. §. IV., an Graeca sit inscriptio exterior, quaerendum duximus, minus mirabitur, qui per me certior sit factus, quum sagacissimus *KRUGIUS* olim in dissertatione quadam evincere studuerit, antequam Religio Christiana esset in Russiam deducta, linguam, quae in aula, apud proceres et in exercitu dominaretur, fuisse antiquam septentrionis, dialectum igitur Germanicam, exitisse omnino Virum pereruditum, hoc in litterarum genere principibus adnumerandum, qui in obscura epigraphe nostra conquireret vocabula Germanica, nec studio suo indignum haberet aliquamdiu, sic nexum sensumque singulis particulis totique inscriptioni inferre, etsi post frustra se laborare senserit atque agnoverit ipse.

Pag. X. lin. 6. iam delenda sunt verba „vel potius, adsumpta littera sequente, APNIOY“, quum non Y sed K sit in archetypo; pro illis igitur: „ἀγνίου, *agnelli, agni*“, iam scribendum: „ἀγνίω, *agnello, agno*.“

8) K adesse in archetypo, neque aliud quidquam, a me primum esse animadversum, id inde etiam colligo, quod in tabella numismatis Petropoli accurate atque eleganter nuperrime incisa opera *REICHELII*, artificis peritissimi, non est KTI, sed HTL. Esse tamen K in archetypo, ut in duobus ectypis inauratis, et Rumanzoviano, et altero, quod Metropolitae Kiev. liberalitate in Museum Dorpatense illatum, equidem oculis confisus meis affirmo. Ceterum tabellae Reichelianae vix absolutae exemplum humaniter mecum communicavit eo ipso, quo Petropolin reliqui, die Vir praestans, mea haud indigena laude, idemque candidus mihi amicus, quocum et consensio pergrata erit, et dissensio nunquam acerba praeter verum nullius avaris.

Eadem pagina lin. 12—16. verba „ut ΕΝΙΟΙC“ et quae sequuntur usque ad verba „posthac proponemus“ deleantur, quum iam, nuper inventa per me totius inscriptionis lectione atque explicatione, quae mihi quidem probabilis videatur, Graecorum verborum exempla praesto sint et meliora et certiora. Sic igitur nunc scriptum malim: „Adsunt vero etiam alia, unde Graeca probabiliter componas, ut post luculentius exponetur.“

Ad §. V. Pag. XI. in loco *Apocalypseos*, ex prima recognitione *KNAPPII* laudato, iam ex tertia eiusdem Viri S. R. recognitione *N. T.* (edita Hal. Sax. 1824.) lin. 1. pro ἰσχυσαν lege ἰσχυσεν, pro οὔτε lege οὐδέ, pro αὐτῶν lege αὐτῶ, pro οὐρανῶ. Καὶ srib. οὐρανῶ· καὶ —, lin. 6. pro κατεβλήθη lege ἐβλήθη, lin. 7. pro νυκτός· καὶ srib. νυκτός. Καὶ —. Lin. 10. post σκηνοῦντες pro sign. exclam. pone punctum.

Quae §. VI. extr. p. XIII. scripsi de monogrammate nominis IESU CHRISTI, iis iam addo, occurrere in quibusdam monumentis veteris Ecclesiae ipsum hoc monogramma ✱, etsi haec forma rarioribus adnumeretur. Conf. *Io. NICOLAI de Siglis vet.* p. 184., et vid. summe Rev. *FRID. MÜENTERI* Programma: *Symbola veteris Ecclesiae artis operis expressa*, Hafniae 1819 editum, p. 14., qui iam laudavit *ARINGHII Romam subterr.* ed. Lutet. 1659, II. 306, et *BOLDETTI Osservazioni sopra i Cimeteri de' santi Martiri* etc. (Rom. 1720), p. 351. Nunc igitur verba mea p. XIII.: „Illud igitur si sumatur, ipse victus inferorum Princeps per suam draconis formam sic implicatam divini Redemptoris nomini humiliter subiectum se prodere quodam modo videatur“ non solum vindico, sed pro his *quodam modo* scriptum malim *arguto aevi illius modo*, adiiciens haec: „Victor, S. Michaël, opposito in altera numismatis parte victo, dracone, repente illucescit. Atque ita occurrit *FRANCKII* observationi p. XLIV. proditae, S. Michaëlem non esse repraesentatum ut draconis victorem, sed ut imperatorem duntaxat. Aliter enim in singularis tabulae amplo spatio pictor, ut Raphaël Sanctius et Guido Renius (conf. apud me P. I. p. X.) Michaëlem Diaboli debellatorem conjuncta utraque figura repraesentat, aliter in artiore numismatis orbe in antica et in aversa parte utramque figuram apte distributam artifex numarius. Denique ne illud quidem negligendum, obscura epigraphe, ut nunc a me legitur atque explicatur, quod typis adhuc deesse videatur ad victoriam diserte praedicandam, ita suppleri atque illustrari, ut nihil iure desideretur.“

Ad §. VII. *NESTOR* ad a. 980. de sex daemonum idolis loquitur, quae

veneratus sit Vladimirus, quibus sacrificia sint oblata. Nonnulla de simulacris Deorum in Russia cultis sub Vladimiro, etsi pauca, ex Russorum Annalibus collegit *Io. BENED. SCHERERUS*, p. 267. seq. post vers. Germ. Annalium Nestoris. Ibi etiam de sex idolis sermo est, licet aliis nominibus, quam apud Nestorem ipsum, appellentur; insuper sex alia commemorantur. „Nam sex fuisse constat“ sic nimis breviter scripsi p. XIV. lin. 24. Scribendum erat: „Nam sex tantummodo a Nestore commemorantur, quae veneratus olim sit Vladimirus.“ Hoc enim intelligi volui, nihil amplius.

Quod adversarius decem fuisse, quae separatis falso numeratis relinquuntur, pro certo affirmat p. IV., quum decem a *KARAMSINO* Hist. Imp. Russ. T. I. p. 72. seq. vers. Germ. enumerentur: in eo et obliviscitur Vir cl., de iis maxime, quae veneratus sit Vladimirus, sermonem esse debere, et ponit, veterum Russorum mythologiam ita iam esse exploratam, ut de decade certi quidquam possit affirmari. Qua in re criticam, qualem adhiberi decebat, desidero cautionem. Nam initiis imperii Russici idola Scandinavica, Fennica et Slavica in Russia videntur fuisse simul. Omnis autem de mythologia Slavica locus nondum a quoquam ita est expositus, ut in eo acquiescere possimus: quod comprobantibus iis, qui omnium optime his de rebus possunt iudicare, me dicere scio. Nam quae *GLINKA, ПОВОД.*, ac nonnihil melius *КАИСАРОВ.*, libellis suis de Slavorum mythologia delibaverunt, ea diligentius in rem inquirenti satisfacere nullo modo posse, constat inter eruditos. Atque ut de iis, quae *CLERICUS* et senex venerabilis, Eminentissimus Metropolita *СИСТРЕНЦЕВИЧ* ⁹⁾ de Slavorum mythologia protulerunt, taceam, in iis quae nuperrime cl. *MONIUS* disseruit ¹⁰⁾, neque linguae Slavorum gnarus, neque in singulis historiae populorum Slavicorum partibus satis versatus, temporibus et locis non raro confusus, subiit mirari, hunc ad ea, quae Ill. *KARAMSINUS* ¹¹⁾ de Russorum antiquorum religionibus breviter, at docte, ut solet, exposuit, ne respexisse quidem, licet non pauca inde potuisset fructuose in suum convertere usum. Equidem omnem de Slavorum mythologia locum, quo hospitem me fateor deferri, aliis perquirendum li-

9) *CLERICUS* (*le Clerc*) in *Historia Russiae antiquae Francogallice scripta*, *СИСТРЕНЦЕВИЧ* in opere suo: *Recherches sur l'origine des Sarmates*.

10) *Geschichte des Heidenthums im nördlichen Europa*. Von Dr. *FRANZ JOS. MONE*. I. Th. Leipzig und Darmst. 1822. octonis.

11) Hist. Imp. Russ. cap. III.

benter relinquens, hoc certe dicere ausim, absonum mihi videri, si numismatis nostri inventio vel Constantinopoli vel Chersone istis temporibus facta habeatur, ibi illo aevo definitum idolorum Slavicorum sumere numerum, quo respicere debuerit numi inventor. Quid vero? num vel Constantinopoli, vel Chersone, tum temporis Slavorum mythologia tam accurate erat cognita? Quid? num ea ipsa tum iam ad systema quoddam erat redacta, exacte definito deorum gentilium numero? Profecto qui, quod nego, affirmavit, aevi istius ingenium prodidit se nosse parum.

V.

Continuatio. Emendationes ad §§. VIII. IX. Explicatio gemmae Chisletanae per Franckium proposita examinatur, refutatur, item explicatio numismatis Weberiani per Rinckium prolata.

Quae §. VIII. dixi de difficultatibus quibusdam epigraphes obscurioris, in iis plura velim deleta, quum nunc curis secundis rem feliciter mihi cessisse ausim affirmare. Deleat igitur benevolus lector pag. XV. lin. 25 — 28. verba: „ut РИИИ — — ЄМАНША.“ Lin. 29. 30. verba: „ne cruditates — lectori.“ Pag. XVI. lin. 8. pro APNIOY legendum APNIO. Lin. 13. pro verbis „hoc satis certum mihi videtur“ lege: „hoc paullo certius, vel potius probabilius mihi videbatur.“ Quae praeterea §. VIII. iam emendata velim et quomodo, e lectione atque explicatione mea epigraphes, ut infra exhibetur, patebit. Spei quidem p. XVI. XVII. excitatae fore, ut ex *KALAI-VIDIS* numismate inaurato epigraphae obscura in Basilii numismate illustretur, parum videtur relinqui. ¹²⁾

§. IX. pag. XVII. not. 22. lin. 20. typographi erratum sero per me deprehensum, ut reliqua fere eiusmodi, in magna exemplorum Commentationis parte ante distributionem calamo correctum, *comperui* corrigendum est

¹²⁾ Doctissimi *KALAI-VIDIS* nuper perlustravi brevem scriptionem exhibitam in *BULGARINI* *Архивъ* septentrionis Russice edito (СЪВЕРНЫЙ АРХИВЪ a. 1823. Part. 5. p. 243 — 245.) *de vetustis quibusdam metallionibus Russicis*. Ibi inter alia sermo est de numismate saeculi fortasse XIV., reperto in latifundio Mikoulin, quod latifundium in Russia Minore situm domino gaudet Illustriss. Comite *Nic. RUMANZOVIO*, cuius in Museum monumentum illud illatum. Habet id ellipseos formam annulumque annexum. In antica est Sancti stantis imago, qui clava supra caput elevata percussurus est Diabolum fugientem, quem sinistrâ suâ tenet capillis. Inter manum sublatam et caput est inscriptio *НИ-КТ*, qua Nicetae nomen expressum esse Kalaidovides probabile reddere studet. In aversa numismatis est caput humanum duodecim serpentibus ita cinctum, ut quatuor serpentes sint superne, tantundem inferne, bini in utroque capitis incogniti latere. In alio numismate, illo deaurato, quod verbo tantum memoravit Vir clarissimus, duodecim serpentes esse dicit eodem positu: de inscriptione autem, quam nobiscum optemus communicatam, tacet.

comperi, lin. 33. pro *rougi* lege *rugi*. Lin. 34. pro illis: „etiamsi — suspi-
cari velis“ lege: „etiamsi ambiguum esse negaveris.“

Pag. XVII. dixi, in gemmae illius e Chifletto a Montefalconio alla-
tae parte aversa inscriptioni similitudinem (non aequalitatem ¹³⁾) omnino
intercedere cum nostra haud exiguam, quod repeto. In sequentibus p. XVII.
XVIII. proposui: „Quid? quod gemmae inscriptionem dicas imitationem
ac corruptionem inscriptionis, quae in numismate est, potius quam hanc
illius, idque duas ob causas: primum ob plures litteras in illa per negli-
gentiam omissas, haud scio an etiam depravatas; tum ob crucis signum in
numismatis inscriptione ex more apte interpositum, in gemma, ut videtur,
per inanem duntaxat imitationem praemissum.“ Hoc mutatum nunc velim
sic: „idque maxime ob plures litteras in illa per negligentiam omissas, haud
scio an etiam depravatas.“ Nam alterum quidem argumentum levius esse
agnovi, ut primum hac de re statim post editam Commentationem ad-
monuit amicus Petropolitanus is, qui ectypum gypseum misit. Quippe
cruces in monumentis initio inscriptionum, etiam earum quae non sunt orbe
circumductae, per omne medium aevum occurrit, ita ut, in gemma per ina-
nem duntaxat imitationem praemissam videri, cautius fuisset omissum. Quan-
quam ne illud quidem negari potest, a superstitiosis hominibus in amuletis
effigendis et scalpendis non raro quaedam per inanem imitationem esse
posita, quibus, quo minus ipsi intelligerent, eo maiorem inesse crederent
vim arcanam. Ceterum quam doctissimus Collega nuper protulit huius
gemmae lectionem, in ea Viri non desidero sagacitatem, audaciam et confi-
dentiam, quibus sibi tantopere placet, non admiror. Numismatis aenei a
Gu. Fr. Rinckio ¹⁴⁾ primum memorati, quod est Venetiis penes Io. Dav.

13) Adversarius quidem p. XIX. suo more aequalitatem perstringit. Qui scripsit, gemmae inscriptionem
dici imitationem ac corruptionem inscriptionis quae in numismate est, potius quam hanc illius —
ob plures litteras in illa per negligentiam omissas, forsitan etiam depravatas, qui ita scripsit, num is
utramque inscriptionem pro eadem plane habet, nec ne? Cavillari cui placet, affirmando respondeat
(per me licet) ad quaestionem, quam aequus arbiter negasset. At non de me loquitur adver-
sarius, de aliis loquitur, adhibens, ut saepe, callide urbanus scilicet, impersonale suum „*man*.“
Nempe in hoc nexu: „zunal da *man* vielmehr den Gedanken von der Besiegung des Drachen
durch das Blut des Lammes darin erwartet, und sogar in vollem Ernste diese Inschrift und die obige
auf der Gemme im Voraus, ohne eine von beiden lesen zu können, für Eine und dieselbe gehalten
hat.“ At illud solus dixi ego, expectari sententiam de dracone per agni sanguinem vincendo. Foe-
neum quidem hominem (quales Cicero ap. Ascon. dicit) facile tu confodias ita.

14) In libro: *Das Sendschreiben der Korinther an den Apostel Paulus und das dritte Sendschreiben
Pauli an die Korinther* in Armenischer Uebersetzung erhalten, nun verdeutscht und mit einer Ein-
leitung über die Aechtheit begleitet. Heidelb. 1823, octonis, p. 195.

Weberum, notitiam nondum habebam, quum ederem Commentationem. Unde Franckius ad gemmae ΕΛΑΝ litterâ M, quae in aeneo est numismate, assumptâ legit ΜΕΛΑΝ, idque pro Vocativo habet, quo Diabolus appelletur, loquens p. VIII. de Exorcista („Teufelsbeschwörer“) ex ultimis mediæ aevi temporibus („des spätesten Mittelalters“) in gemma, quam non vidit ipsam, cuius nescit aetatem, *et illud Quod mecum ignorat, solus vult scire videri*. Iam ut de forma Vocativi μέλαν, memor eorum quae leguntur apud Grammaticos recentiores, ut *WELLER. Gramm. Gr.* ed. Fischer. p. 88., *FISCHER. Anim. ad Weller.* I. p. 412., *BUTTMANN. ausführl. Gr. Gramm.* T. I. p. 178. 179., aut *MATTHIAE ausführl. Gr. Gramm.* p. 82., disputare nolim, etsi exemplum simile eiusdem vocis afferre haud scio annon fuisset supervacaneum: exemplum vocis μέλας simpliciter adhibitae pro Satana in omni antiquitate medioque etiam aevo valde equidem desidero, et dum afferatur a Viro erudito exspecto. Quod ex illo Μ/ΑΝΟΜΕΝ/ facit μαινώμενος, pro quo in numismate Weberiano praeter expectationem reperitur ΜΕΛΕΙΝΟΜΕΝΗΟC, et quod μαινώμενος ὁ ὄφις explicat: „die in den Staub geworfene Schlange“, vereor ut cautiorebus haec sit probaturus, quae, sicut reliqua, quam argute excuset, apud ipsum cognoscat, cui libet. Idem valet de illo ΚΥΜΟΥ mutato in ΚΥΛΛΟΥ, quod mihi quidem h. l. minime probavit Franckius, quum κυλλῶ proprie sit *incurvo* et *curvando debilito* (ich lähme), quorum neutrum rei conveniens est, ut taceam de Imperativo, pro quo ipse praeferre videtur coniecturam suam κυλλώση, eam quoque satis superque incertam. Ne illud quidem, quod Exorcistam fecit Satanae minantem fore, ut hic *prae summo dolore* rugiat leonis instar, mihi est probabile. Satanas quo sensu comparetur I. *PETRI* 5., 8. leoni rugienti, cuique nostrum vel a puero erat notissimum: at leonis rugitum simpliciter poni de summo dolore exprimendo (ut h. l. fit in ipsius auctoris verbis p. XII.: „dafs hier das Brüllen eine Aeußerung des höchsten Schmerzes ist“), id a Critico nobis erat discendum, *MONTEFALCONIUM*, virum eruditissimum et laboriosissimum, ita laudante, ut eius nondum pernosse videatur indolem, critico quidem acumine haud insignem. Sed missis aliis, quae addere possim, eorum causa, quibus Franckii libellus ad manum non est, totam eius explicationem appossuisse iuvabit. Apud *CHIFLETUM* igitur (quem perlustrandi nuper quaedam dabatur opportunitas,) apud *GORLAEUM* et apud *MONTEFALCONIUM* haec leguntur:

†ΥΣΤΕΡ/
 ΕΛΑΝΗΜ/
 ΑΝΟΜΕΝ/Ο
 ΟΦΗΧΛΗ
 ΕΣΕΚΙΟCΑΕ
 ΟΝΒΡΥΧΑCΕ
 ΚΕΟCΑΡΝΙ
 ΟΝΚΥΜ
 ΟΥ.

Quae sic legit Vir doctus:

Ἵστέρει,
 μέλαν, ἢ μι-
 αινόμενος ὁ
 ὄφις ἤδη
 ἔση καὶ ὡς λέ-
 ων βρυχήσῃ,
 καὶ ὡς ἀρνί-
 ον κυλλ-
 οῦ.

Haec ita interpretatur: „Gib dich verloren, Schwarzer, oder du wirst jetzt die in den Staub geworfene Schlange seyn und wie ein Löwe brüllen, und beuge dich wie ein Lamm“, aut ex numismate Weberiano, ubi legendum esse conicit, καὶ ὡς ἀρνὸς κυλλώσῃ: „und wirst dich wie ein Lamm beugen.“

Omne hoc Ἑρμαιον, quod verbo male ominato ὑστερεῖν incipere me praesente non illepide dixit Vir quidam ingeniosus, inventoris Musae, vel si quis in obscure decantatis malit, Fatuae nos certe haud invidemus. Weberiani numismatis inscriptionem si qui forte comparare velint, ea sic habet:

† ΤΟ — — —
 ΜΕΛΑΝΗΜΕ
 ΛΕΙΝΟΜΕΝΗΟC
 ΟΦΗΧΛΗΕCΕΚ
 ΕΟC·ΛΕΟΝΒΡΥ
 ΧΕΙCΕΚΕΟCΑΡΝ
 ΟCΚΥΜΕΙCΕ.

Quae sic legit atque explicat cl. RINCKIUS p. 195.: Ὑποκυματῶ μελάνη μελεϊνομένης ὄφιο· ἐλέησον, κύριε θεός. Λέων βρύχει σέ, κύριε θεός, κίνει σέ. „Es wütet die schwarze, starrsinnige Schlange: erbarme dich, Herr Gott. Der Löwe brüllet wider dich, Herr, Gott des Lammes, rege dich.“ Quanquam hanc lectionem atque interpretationem silentio praeterire haud scio an praestiterit. Nam ut sileamus de rariore illo ὑποκυματῶ, de inaudito μελεϊνομένης, de illo ἐλέησον ex vitioso ΗΛΗΕΘΘ, non patet quomodo, prodeunte, etiam de insolito isto θεός ἀγρός: quae graviter peccantur in isto μελάνη ὄφιο et in illo βρύχει σέ, eiusmodi sunt, ut talibus immorari operae pretium non sit. Ceterum de gemma Chiffletana, potissimum quidem de eo, an necessitudine quadam Basilii numisma illa attingat, nec ne, suo tempore pluribus erit disputandum. Res vero haud ea esse videtur, ut Occuponem quivis experiatur propitium.

VII.

Continuatio. Ad §. VI. Quo τριτάτον pertineat in numismatis antica.

§. VI. p. XII. monui, in numismate nostro aptissime comparere S. Michaëlem, Archangelum eundemque Archistrategum, cum sententia illa ex *IESAIAE* loco omnibus notissimo petita, una (ut putabam) cum plurimis angelorum, qui Dei laudes celebraverint, capitibus alatis in numi margine circumpositis (de quibus tamen conf. quae nunc dixi p. VIII.). Simul primus hunc typum atque hanc inscriptionem §. VII. p. XIII. XIV. coniunxi cum narratione Graeci anonymi apud *BANDURIUM*, ubi non solum antiquum illud Ecclesiae κύριε ἐλέησον memoretur, sed etiam, quantam vim in Vladimiri oratores ad Imperatorem Graecorum missos habuerit angelorum species oblata psallentium ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος. Non mirum igitur videri, si numismatis inveniendi auctor in adversa (nam sic legendum p. XIV. lin. 8. pro sphalmate typogr. *aversa*¹⁵) eam maxime ponendam curaverit inscriptionem, quae mirabile illud ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος contineret. Equidem igitur, qui in antica S. Michaëlem, ut typorum ratio postulabat, maxime quidem ut Archistrategum eundemque Satanæ debellatorem spectabam, eundem simul ut Archangelum cogitabam. Quem, quum in angelorum capitibus in margine positus aptam

15) Contra p. XXVII. lin. 31. legendum esse patet *aversa* pro *adversa*, et p. XVIII. lin. 19. 20. *di-xerint* pro *dixe-xerint*.

allusionem ad Iesaiæ locum viderem, omnino ut ducem angelorum, qui ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος illud psallerent, poteram, si voluissem, spectare, licet disertis verbis id non dixerim, quum de Archistratego maxime, tum ob typi naturam, tum ob ea, quae adversus Virum illum summe Reverendum monenda haberem, mihi videretur disserendum. In angelorum vero capitibus, quae in margine numi significata putabam, nego me, qui in illo hymno ἅγιος etc. omnino allusionem reperissem ad id, quod in S. Sophiae aede et vidisse et audivisse Vladimiri oratores Anonymus ap. Bandur. narrat, intelligi voluisse de angelis, qui oratoribus in aede S. Sophiae in officii sacri sollemnitate apparuerint: volebam de iis tantummodo, quos laudavit *IESAIAS*; et quum prophetae loco Michaël non diserte laudetur, figura autem eum monstret non ut psallentem, sed cum attributis, quae coelestis militiae ducem eundemque victorem arguant, (conf. Comm. p. XXIV.) hoc, cum monstrata Diaboli in aversa numismatis figura coniunctum, satis causae mihi videbatur, ut ita, nec aliter, loquerer de S. Michaële in antica. Ceterum per me licet, ut τρισάγιον illud e Iesaiæ petatum, quod veteri Ecclesiae maxime in Missae sollemnitate resonaret, numisma spectanti in mentem revocet omnem rei sacrae splendorem ac magnificentiam, quibus peragi soleret in antiqua Ecclesia Graeca, praesertim Constantinopoli. Qui si simul cogitet, quae quantaque Religionis Christianae mysteria omni Missae caerimoniâ significari constet, qua de re post alios nuperrime Theologi quidam Catholici disseruere, ex quibus *HIRSCHERUM* pluribus de causis praefarendum censeo *BENKERTO*¹⁶⁾: in numismate, quo Religionis Christianae in Russia institutionem celebrari probabiliter est monstratum, hoc etiam, quod modo indicavi, nomine ipsum τρισάγιον illud apte atque accommodate dicat esse inscriptum.

VIII.

Epigraphes obscurioris lectio atque explicatio Franckiana examinatur, refutatur.

Examinanda iam est nova lectio atque explicatio epigraphes difficilis a *IO. VAL. FRANCKIO* nuperrime proposita. In ea sententiam meam, numi-

¹⁶⁾ *Missae genuinam notionem eruere, eiusque celebrandae rectam methodum monstrare tentavit D. I. BAPT. HIRSCHER*, Tubingae 1821, octonis. — Diss. de duplice Missa Catechumenorum et fidelium primis Ecclesiae Christianae saeculis celebrari solita etc. auct. *FRANC. GE. BENKERT*, Theol. D. Wuerceb. 1823, octonis. Ab Hirschero p. 12, ex Constitutionibus apostolicis lib. VIII. c. 12, afferitur, sacerdoti a coetu sacro responderi: „Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Sebaoth: pleni sunt coeli et terra gloria eius“ etc. Conf. ibidem, quae p. 75. ex Liturgia Copt. laudantur. Verum etiam a *Benkerto* p. 72. 73. τρισάγιον illud in antiqua Ecclesia consuetum suo loco memoratur.

smate Basilii Religionis Christianae in Russia institutionem celebrari, Vir clarissimus confirmare studet ita, ut draconis nulla habeatur ratio. Monstrum serpentinum in numismatis aversa esse draconem apocalypticum, quod prius proposui, mihi concedit, idem negans, S. Michaëlem eius tantum causa, aut proxime et maxime ut victorem huius draconis, esse repraesentatum. Quod quomodo conficiat, videamus.

Obscuram epigraphen aversae sic legendam censet: *Εἰερά* (pro *ἱερά*) ἡ *ἔδρα*, ἐν ἧ ἑλαλήθη ἐν τοι (pro τῷ) *σίματει* (pro *σίματι*), *ἕως ἑαχθῆ οὐρανόσ ὡς ἡ γῆ*, καὶ ἕως παρῆ Ἰησοῦς κύριος ἡμῶν, υἱὸς Χριστοῦ ¹⁷⁾. Totius numismatis finem recludi edicit narratione illa anonymi Byzantini apud Bandurium, quam ego iam ad numisma quodam modo illustrandum adhibuissem. Obscuram epigraphen ita nimirum esse legendam, ut non incipiendum sit, ubi quisvis alius eam incipiendam esse putarit, statim post crucem: ut Slavonica in numismate inscriptio non minus quam altera Graeca per crucem distinguitur atque igitur initium capit statim post crucem. In nostra autem epigrapha docemur fieri plane non posse, ut sensus probabilis existat, nisi confugas ad remedium a Critico praescriptum ¹⁸⁾. Item negatur fieri posse, ut extrema inscriptio legatur, nisi crux cum sequente Υ coniungatur, ubi habendum sit utrumque pro solito compendio nominis Christi ¹⁹⁾. Utinam vero ex uno tantum numo Graeco exemplum attulisset crucis simpliciter iunctae cum littera Υ ad exprimendam vocem *Χριστοῦ*. In nostro quidem numismate quam inepte id, quod vult Criticus, sumatur, in eo quemvis mihi assensurum puto praeter eum, qui quovis modo *ἑμαίου* sui praestantiam evincere laborat. Anticae numismatis nostri Graeca inscriptio orbe circumducta distinguitur cruce, ut fit saepissime in medii aevi numis; eodem modo Slavica illa aversae: eodem fere etiam tertia epigrapha, in qua haec

17) Vide eius libellum p. XV. seq. XL, XLI.

18) Pag. XXI. „Eine andere Möglichkeit aber, den Anfang der Umschrift zu erklären, wenn man sie gleich hinter dem Kreuze anfangen läßt, wird man auch nicht angeben können.“ (Videbimus.) — — „Betrachtet man auch das Ende derselben, so sieht man bei einiger Uebung im Lösen solcher Aufgaben“ (Vidimus, *experiens vir!*) „sehr bald, daß auch dieses eben so unerklärlich ist, wenn man nicht das Kreuz mit dem darauf folgenden Υ zusammen als die gewöhnliche Abkürzung von *Χριστοῦ* betrachtet.“ (Videbimus.) — — „Fangen wir also erst mit dem zweiten Buchstaben nach dem Kreuze an, so geht die Entzifferung so leicht von Statten, als man es nur wünschen kann“, (Ain'tu?) „statt daß man sonst keinen Schritt aus der Stelle kommen würde.“ Itane vero?

19) Quod de cruce Franckius p. XXI. negat (in inscriptionibus orbiculatis), initium legendae inscriptionis per eam definiendum ne ut secundarium quidem finem eiusmodi crucis spectandum esse, eo temere pugnat contra rem certissimam, artis diplomaticae elementis comprehensam, quae crucis signa punctorum loco orationi interpungendae inservire docet.

tantum est differentia, quod crux a medio orbe nonnihil recedit; cuius rei causa est in promptu. Nempe callidus artifex ponere noluit crucem super crucem, quo oculis confusio quaedam fuisset suborta inde, quod tum duae hae cruces primo obtutu facile haberi potuissent pro una duplici. At etiam si haec nondum sufficerent, duabus aliis de causis Critici nostri ratio est repudianda: primum, quia id, quod antecedere sumit Υ I, non bene sumitur pro compendio dativi pluralis vocis Υ IOIC, cuius compendii naturam suam obscuri exempla in numis vix invenias, etsi Υ . pro Υ ίόν, $\bar{\Upsilon}$. pro Υ ίός, occurrere sciam in *CORSINI Notis Gr.* p. 69. ²⁰⁾; tum vero, quod in ipso numismate aureo non adest Υ I, est manifesto Υ I, nos autem non opinionis commenta volumus, sed litterarum, quae in numo sunt, explicationem. At sequentia videamus. Primo loco haec leguntur p. XXII.: Υ ΙΕΡΑΗΕΛΡΙΙΗΕΛΛΑΗΟΗΕΗΙΟΙCΙΗΑΙΕΙ. Ex primo C Franckius facit Υ , ut habeat Υ ΙΕΡΑΗ pro *ιερω η*. At in archetypo non est Υ , est certissime C, etsi sequens littera, licet incurva, pro I haberi omnino possit atque etiam a me nuper iam sit habita. (Conf. Cur. Sec. p. V.) Sequens H ego nunc non pro *η* habeo, sed N esse censeo. In numo aureo sequuntur litterae Υ ΛΑΙΙΗ. Hoc ego esse dico Υ ΛΑΙΑΝ, nihil mutans, sumens tantummodo, litteram A male cecidisse scalpentem, ita ut omitteret et lineolam aequam, et superne rotundam. Eum autem litteram A voluisse, quodam modo patet vel ex eo, quod superne ab antecedente I linea longius recedit, quam inferne. Atque haec, qua utor, licentia nihil est prae illa, quam sibi sumit Criticus noster. Is enim litteram Λ , in qua, si numum aureum inspexeris, nulla esse potest dubitatio, sua sponte mutat in Δ , ex sequenti littera, quae in archetypo certissime est A, nihil amplius, facit PA, cuius monogrammati nullam prorsus causam inveniit, qui numisma ipsum conspexerit, in quo eiusmodi contractionis (aliud enim est, quod in antica in voce ΠΑΙΡIC litterae ΠΑ in inferiore parte se tangunt) nullum exstat vestigium, ita ut, quae operose congressit Criticus sic,

20) Quod Franckius p. XL. affert tanquam exemplum eiusdem compendii ex inscriptione quadam apud *FABRETTUM*, eiusdem plane compendii non est, neque res ibi satis certa. Ibi enim Υ I a *CORSINO N. Gr.* p. 67. seq. mutatur in Υ I sensu vocis *υίω*. At licet litterae T et Υ persaepe sint confusae: quidni eadem fere probabilitate, imo maiore, coniciam, ω evanuisse secunda istius inscriptionis linea, ubi spatii penuria non est, post EPMIA Υ I? Tum secunda non magis adsit compendium, quam prima in Φ ΛΑΒΙ ω , tertia in ΑΓΑΠΕΤ ω . — Haec scripseram, Collegae laudanti confusus, Corsino, qui forte ad manus non esset, haud inspecto. Quem postquam ipse inspexi, praeter expectationem vidi, perspicacem Italum idem voluisse, quod ego. Dicit enim simpliciter p. 68: „ Υ I ω pro Υ I rescribendum erit.“ Abusum igitur esse patet adversarium Corsini loco atque auctoritate.

ut ne exemplum quidem satis conveniens contractarum litterarum ΠΑ unde unde extricarit (p. XXIII. XXIV.), nihil faciant ad hunc locum. Ex illis ΠΗΕΛΛΗΘΗ Criticus creat ΕΗΕΛΛΗΘΗ, in quibus ex illo ΠΗΗ conficit ΕΗΗ (ἐν ἧ), ubi, quomodo ex I prodeat Ε, non liquet, etsi mutatio linearum Π in Η minus offenderit. Post ΕΛΛΑ sua quadam propria auctoritate inserit Α; Ο, quod manifesto adest in numo, sua sponte mutat in Θ. Sic prodeunt ista ἐν ἧ ἐλλάληθη. Germanicum quidem lectorem desideratum agnoscit τοῦτο. Scilicet, quidnam? — *Quid tam magnum?* ut cum Horatio Benteiano loquamur: — omnem illam εἴησιν: Ἅγιος, ἄγιος, ἄγιος κύριος Σαβαώθ πλήρης ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ. *Di, vostram fidem! incredibilia Parmeno modo quae narravit.* In aversa numismatis, ubi obscura nostra est, nil eiusmodi legitur: in adversa reperitur id, ex cuius lege, nempe critico iudicio adhibito, emendantur, conformantur, illustrantur, quae in altera numismatis parte orbem ambiunt. At Graece et Latine pronuntiat ne in bono quidem scriptore desideratum iri τοῦτο. Cuiusmodi excusatio quorsum ad rem faciat, infra videbimus, ubi dicetur de ellipsi et rerum et verborum in moneta. Ceterum quod litteram Ε attinet, eam ex ἀποψία numismatis aurei spondeo in ipso satis esse ubique fere rotundam, ut, quae de forma quadrata litterae Ε ad excusandam mutationem τῆ I in Ε dicit p. XXIV., omni vi destituantur. At clariora sequuntur critices emendatricis exempla. Illa ΕΗΙΟΙCΗΑΙΕΙ mutantur in ΕΗΤΟΙCΗΑΤΕΙ, ἐν τῷ σήματι, quae neminem sperat auctor in dubitationem vocaturum, qui hic non verba solum quaerat, sed sensum. Τὸ σῆμα autem esse speciem oblatam angelorum in aede Sophiae. Quod Criticus dicit, necessario Ν requiri post Ε, hoc etiam a me agnoscī, qui cum Tychseno extra ordinem coniciam ἐνίοις, in eo, ut saepe, non *Iove iudicat aequo.* Qui si sine praeiudicata legisset opinione, facile vidisset, longissime me remotum fuisse a dementia, in eiusmodi vocabulo componendo necessarii quidquam statuere in epigraphe, cuius verba praeter ΔΡΑΚΟΝ et ΑΡΝΙΟ definire quidem tunc ausus non sim, qui non improvide adiecerim p. XVI.: „Si audaciori esse liceret, dicerem in ultimo inscriptionis vocabulo, vitiose nunc quacunq̄ue de causa scripto, latere ΑΙΜΑΤΙ (αἵματι), primum autem ΥCCEPAHEA nihil aliud esse quam Ἰσραήλ. Atque ut illud pro incerto habeatur, mihi animo obversans ob laudata a me Apocalypseos verba: hoc satis certum mihi videtur reputanti, in eodem numo mendose scriptum esse ΠΑΡΙC pro ΠΛΗΡHC et ΚΙΤΙ pro illis ΚΑΙ

Η ΓΗ. Iam igitur fieri saltem posse putabam, ut vox Ἰσραήλ hoc loco posita sit, quo sensu in N. Test. saepius occurrit, ut veri Dei cultores, exemplum Iacobi imitantes, indicet non solum inter Iudaeos, sed etiam inter Christianos, quocunque modo iuncta sententiae Ioanneae utcunque verbis, quae definire non ausim, in numismate expressae, *victum esse draconem per sanguinem agni.* In his omnibus aequus lector quivis, quid voluerim, quid non, agnoscet, nec tam stultum me fuisse putabit, ut hunc sensum inesse voluerim, quo vertenda ipsi cum adversario p. XX. sint verba *satis certum*: „als sicher genug“, quum ipse mecum sciat, illa significare etiam posse „ziemlich gewiß“, imo in hoc nexu, nisi stipitem et plumbeum existimes auctorem, aliud significare nihil posse. Ad vocem ΕΝΙΟΙC quod attinet, candido lectori patet, hoc non ut meam coniecturam ad inscriptionis sensum aperiendum afferri, sed ea §., ubi quaeritur, an epigraphae Graecae sit nec ne, ut exemplum duntaxat vocum Graecarum componendarum. Ubi taedet meminisse, disertis verbis a Critico memorari, me ista *cum Tychseno* divinare, quasi tantilla res a Tychseno mihi fuerit mutuanda, apud quem ut iam video, vel calami lapsu, vel typographi vitio, est ΕΝΙΟC. Αpage vero ἐν τῷ σήματι! Ac sic providus quisque dicet mecum, quum in numismate non reperitur T, sed I, neque ΕΙ, sed ΕΡ. Quod M attinet, in Slavonica numi inscriptione ter occurrit M, in utraque Graeca autem, quidquid obloquatur Vir clarissimus, in ipso numo M nusquam occurrit, nec tali forma, qualem in Bospori Cimmerii numis quibusdam novissimis repertum dicit, nec serâ illâ, quam affert, H. Contra ΕΙ istud pro brevi I in σήματι (pro σήματι) numismati obtrusum disputare post ea, quae diximus, est supervacaneum. Alioqui moneremus saltem, aliud esse, exemplis undecunque petitis excusare, quod adest in monumentis; aliud, quidlibet, ut tuo scilicet indulgeas ingenio, inferre. Quid de duplici ἔως statuendum sit, quod per se ferri quidem possit, atque inter ea erat, quae a me consulto praetermissa olim essent inter alias coniecturas plane incertas, quae extra ordinem in mentem veniant cuivis, infra videbimus, ubi his litteris probabiliorem in contextu locum et sensum assignare conabimur.

Pervenimus usque ad vocem, quam equidem, ut primum vidi, ΔΡΑΚΟΗ (δράκων) esse putavi, adhuc hoc quidem loco *advocatus diaboli*, minime motus, nedam territus iis, quae nescio an severe ac morose magis quam festive et mirum in modum lepide hoc loco dixit Vir politissimus p.

XXXI. 21). In voce PAXΘH, quam proponit Criticus, primum negari non potest, quod ipse concedere videtur, in numo adesse H potius quam H, igitur N. Porro Θ minime adest in archetypo, sed sine ulla dubitatione O; consonans antecedens, nonnihil detrita, eiusmodi est, ut K non minus esse possit quam X: equidem K esse puto. Ex iis igitur, quae reperiuntur in numo, valde incerta redditur lectio ξαχθῆ. At quidnam praecedenti Δ in voce ΔΡΑΚΟΝ facit Vir ingeniosus? Litteram esse negat: esse potius vel crucem dimidiam, vel, si quis malit, folii quoddam genus, quale in serioris aevi inscriptionibus saepissime inseratur medio contextu, ut verbo alicui pondus singulare addatur, ut hoc loco diuturnitati usque ad diem novissimum. Haec quum legi, primo obstupui, ingenii in difficultatibus vincendis ubertatem miratus. Postquam ad me redii, observavi, in aureo numismate litteram Δ omnino adesse, etsi formā minus usitatā, eiusmodi quae Slavonico Δ propius accedat quam Graeco, quod non mirabar in illa characterum Graecorum et Slavonicorum illis saeculis similitudine, ita ut *MONTEFALCONIUS* etiam *Palaeogr. Gr.* p. 336. in Alphabeto Gr. litterae Δ formā quartā in Mss. caractere unciali a septimo saeculo usitata attulerit eam, unde numismatis nostri absit non multum. Folium certe in ipso numo esse negabit et pernegabit providus quisque; praesertim quum in aureo archetypo characteris forma minime sit, qualem exhibuit Franckius ☉: qua in re excusatus erravit, quod in Senffii adumbratione, ut iam monuimus, hic character a vero multum abludit. Quod Vir clarissimus dicit, si littera esset, quam litteram esse ipse negat, non minus haberi posse pro A quam pro Δ, ut tum eodem fere sensu quo ξαχθῆ legi possit ἀξαχθῆ, ei repugnat, quod in archetypo characteris forma ab A ita recedit, ut pro eo haberi nullo possit modo. Verum, quae deinceps sequuntur, exigamus. Sequitur ΟΥΡΟΥΗC. ΟΥΡ Critico nostro est ΟΥΡΑΝΟC, compendio vocis satis obscuro. Facilius

21) „Es bedarf daher keiner Erinnerung, wie unpassend man gleich nachher in ΔΡΑΧΟΝ den Drachen, ΔΡΑΧΟΗ oder ΔΡΑΚΟΗ für δράκων, hat finden wollen, zum warnenden Beispiele für alle, die sich auf solche aus dem Zusammenhange gerissene Möglichkeiten verlassen, da man dielsmal dadurch sogar dahin gekommen ist, statt der Juno nicht, wie das Sprichwort sagt, eine Wolke, sondern den leibhaften Höllendrachen zu umarmen. Halten wir uns also hier den Teufel vom Leibe“ u. s. w. At adest, o bone, draconis et figura et vocabulum in numi aversa, ut adest ibidem vocabulum ΑΡΝΙΟ, quae ambo adsunt in Apocalypseos loco, unde primaria pendet operis explicatio, quam tu ab amiculo docendo (quidni alter discere amet ab altero? modo doceatur recte) mutuam sumere non es dedignatus. Tu vero affingis numo tam multa, quae non adsunt, ut inverecundus haud sit, qui iam quaerat, uter nostrum cavere debeat monitus.

ferrem, si contextus pateretur id, quod, quale fieri possit, non quale sit, ipse proposueram nuper p. XV., ΟΥΡΥ pro οὐρανῶ. In quo dolerem, si per me adversarius, qui, quantumvis proprio ingenio abundans, aliena tamen non ubique spernit, forte motus esset ad amplectendum suum ΟΥΡ pro οὐρανός, quum annectat, quod ferri nullo modo possit, ΥΖΗC, explicans ὡς ἡ γῆ. Nam in numo aureo simplex adest C, nil amplius; ΓΙ non adest: quanquam mihi ipsi olim ΓΙ illud in adversa numi pro γῆ, quum de οὐρανῶ cogitassem, facile etiam suggererat studium eiusmodi quid quaerendi, licet statim id deposuerim, quum in primo etiam, quod cognovissem, ectypo C adesse, nec aliquid, animadvertissem.

Restat nihil nisi illa ΚΕΟCΑΡΗΙΚΚVΗΗΗΥΙ†Υ. In his K sumitur pro KAI, ut K est in aversa, ΕΟC iterum pro ἕως. In illo IC mira docti Viri sagacitas reperit compendium nominis Ἰησοῦς, in KV autem κύριος. At in ipso numo aureo non adest C, adest O sine ulla dubitatione: nam in tabella Senffiana huius quidem litterae forma a vero est aliena. Κύριος in aversa scriptum esse KC, ipse agnoscit Criticus: meliore omnino compendio, quia minus ambigue KV alibi notare solet κυρίου, ut Critico est notum; multo vero et frequentius et aptius prima littera vocis cuiusdam ultimae eiusdem iuncta compendio adhibetur quam syllaba prima. Quam parum igitur istis omnibus insit probabilitatis, facile intelligitur. Ex altera parte APNIO in ipso adest numismate, ex Apocalypsi optime explicatum, et cum reliquis etiam ex nova explicatione mea, ut post videbimus, aptissime coniunctum. Litteram, quae sequitur post K, formam V esse nego, dico esse 8, ut intelligatur κυρίου: qua in re retineo, quae, ubi fieri potest, retineri ubique debet, nusquam contemni, analogiam cum reliquis, quae adsunt in numo, ut in adverso omnino adest KC, compendio vocis ex litterae primae et ultimae coniunctione; et ut in antica adest 8 in ΣΡΑΗΟC. Quid vero Critici acumen singulare facit ex certissimo APNIO? APH mutat in ΠAPH, aut litteram Π, videlicet a scalptore male omissam, inserendo, aut pro A sibi fingendo (nam eius ne minimum quidem adest vestigium) monogrammate Η. Nempe sic prodeunt illa καὶ ἕως παρεῖ Ἰησοῦς κύριος, quae firmantur ita, ut deinceps quod sequitur ΗΗΗ explicetur per ἡμῶν, licet litterae M, quovis modo cogitetur, forma reperiat nulla. Minus etiam firma esse, quae restant, fulcra, supra vidimus. Nam

TI, crucis signum et Y monuimus (p. XXI.) sine ulla probabilitatis umbra haberi pro *υῖος Χριστοῦ*.

Sic totum Critici corrui aedificium operose sane structum, suffultum eiusmodi praesidiis, ut vocabulorum formis minus usitatis, quae ex epigraphicorum librorum angulis et indicibus laboriose erant conquirendae (ut *ειερά, σίμαται*), ut compendiis verborum non bene significantibus (ut OYP pro *οὐρανός*, KV pro *κύριος*), ut monogrammatibus, quorum vestigia in ipso numo adsunt nulla, ei affictis (ut ΔR pro ΛA, M pro A), ut litteris male lectis (E pro C in ΕΙΕΡΑ; T bis male pro I; M, quod nusquam in hac epigraphe reperitur, bis male pro H; Θ pro O; A pro Δ; I pro P illo, quod est in archetypo; X pro K; L, quod non adest, pro C, quod adest; O pro C; V pro ς, Υ pro T²²); ut litteris ad libidinem insertis, quemadmodum Λ secundum in supposita voce *ἐλαλήθη*, et I in voce ΠI, quae vox optatur, ne dicam somniatur, in simplici C; ut crucis abusu in duabus reliquis numi inscriptionibus ex more usitatissimo ad finem distinguendum adhibitae, in tertia cum littera Y ex Critici decreto ita coniungendae, ut prodeat sensus *Χριστοῦ*; ut folii denique nescio unde delapsi: folii, quod non adest, pro littera, quae adest, et folii adhibiti, ut Critici, non numi, sententiae de diuturnitate usque ad novissimum diem pondus addatur. Mirum sane remedium, si littera moratur molesta, eam submovere folio unde unde arrepto. At in serioris aevi inscriptionibus Vir eruditus dicit p. XXXII. folium eiusmodi saepissime inseri, ut verbum ali-quod, cui singulare addendum sit pondus, eniteat. Quid vero? nonne inscriptionibus huiusmodi folia singula aliis potissimum usibus inserviunt, ad distinguendum, ad vacuum explendum, ad ornandum denique, praesertim in extrema epigraphe? Quid porro? nonne inscriptionum in marmoribus alius est usus, alius numorum? Utinam unum modo attulisses, Critice, exemplum folii verbo cuilibet Graeco ponderis causa appensi in numis. *Dic, quibus in numis, et eris mihi magnus Apollo*²³. Nihil attinet, me post omnia

22) Tacui, ut par est, de H et H (N), quemadmodum ex nova lectione mea capiuntur.

23) Si quis nova atque inaudita profert in rebus numismaticis, merito rem docte probandi studium expectatur. Saltem sic solet in difficilioribus eo accuratius, quo quis rei numariae peritior est. Conferat cui libet, exempli causa, quam diligenter, quibus doctrinae et historicae et numismatice opibus munitus, Bozeus in diss. de numo quodam aureo Mauricii Imp. Viennae Allobrogum cuso in epigraphe adversae orbem ambiente: DN. MAVRICIVS PP. AV., exponat, quid sibi velit illud *ς* insertum nomini Mauricii, illam explicans sic: *Dominus Noster MAVRICIVS Sanctus PerPetuo AVgustus*. Vid. in commentariis Academiae Inscr. disputationem hoc indice: *Reflexions sur une Médaille d'Or de l'Emp. Maurice*. Par M. de Boze. (*Mem. de l'Acad. R. des Inscr. et B. L.* Tom. XV. p. 480—494.) Tamen ECKHELIUS *Doctr. numor. vet.* Vol. VIII. p. 220. pro summa, qua

haec monere, quod sciunt omnes, temerarii sciunt iidemque contemunt, maiore iure librariorum in codicibus aberrationem ex ingenio corrigi, quam monetae epigraphen: qua in re multo maior cautio est adhibenda, licet scripturae errores in moneta obvii propterea a nemine negentur omnes.

Hunc igitur in modum rem optime demonstratam, eamque ex Critici nostri mente, ut ipse dicit, rei gnaris ad liquidum perductam, an ego iis adnumerandus censear, qui ignaris eandem denuo turbent²⁴⁾, tranquillus exspecto.

At sumamus, inscriptionem, ut a Critico constituitur, optime legi atque explicari, neque ex accuratius examinatis litterarum formis, inspecto ipso archetypo, ex quo melius quam ex omnium ectyporum comparatione, quorum nullum omni ex parte verum est, aliud quid prodire, quam quod effecit ille: utrum ex ista interpretatione typus in utraque numismatis parte bene habet? Quid? rectane est ratio inscriptionum ad figuras, totiusque monumenti laudabilis inventio? *Infelix* potius tum *operis summa, quia totum ponere nesciet* faber. Quid? Num callido artium spectatori cuiquam ardebit ista numismatis compositio, ubi in inscriptionibus magnae, quae aversae medium occupat, draconis figurae nulla plane habetur ratio? num eidem placebit ista ambiguitas, ubi Michaël Archangelus et ut angelorum cantantium dux ob inscriptionem *ἀγίος, ἄγιος, ἄγιος* in adversa, et ut draconis debellator ob draconem in aversa oppositum cogitatur, atque ita cogitatur, ut magis et propius illo munere fungens repraesentetur quam hoc, (p. XIV. XLIII. XLIV.) et ubi, plane contra naturalem utriusque imaginis in utraque parte oppositionem, affirmatur et defenditur, victoriam de dracone reportatam ut rem secundariam eiusmodi esse, ut obscurum potius amet, *σῆμα* autem illud cantantium eiusmodi, ut velit sub luce videri? Nimirum secundum Horatianum illud: *ut pictura poësis: erit quae, si pro-*

recte uti solet Vir eximius, cautione de Bozei coniectura haec addidit: „Utrum, ut est speciosa, itaque sit solida, dubitare licet.“

²⁴⁾ P. XLI. „Bei unbefangenen und sachkundigen Richtern hoffe ich auch diesen Zweck jetzt erreicht zu haben, und um diejenigen, denen jede Ausflucht gut genug ist, um nur gegen die ausgemachtesten Wahrheiten noch etwas einzuwenden, pflege ich mich um so weniger im Voraus zu bekümmern, da es nicht einmal möglich seyn würde, zu errathen, auf welche Weise es ihnen einfallen kann, eine für Kenner auf's Reine gebrachte Sache für Unkundige wieder in Verwirrung zu bringen.“ De quibusnam quaeso adversariis loquitur Vir praeclarus? Ubinam unum tantummodo ex ea hominum natione, qualem describit, omnino valde despicienda, hac quidem in arena nobis digito monstrabit? Cuiam quaeso lectorum generi talia addere iuvabat? Utrum peritorum? Qui admonitione non egent. An imperitissimorum? Quorum suffragia contemnit, quicumque sapere audet.

*p*ius stes, *T*e capiat magis; et quaedam, si longius abstes: *H*aec amat obscurum: volet haec sub luce videri, *I*udicis argutum quae non formidat acumen. At num huiusmodi commentum iudicis arguti acumen vere non formidat? Si quidem, ut Franckius ipse concedit, in numismate nostro draco πολυκέφαλος ut idololatriae symbolum ex Apocalypseos loco per me indicato recte est explicatus, totumque numisma, ad Religionis Christianae in Russia sub Vladimiro I. institutae memoriam praedicandam inventum, a me, neque ab alio quoquam ante me, argumentis non inepte compositis probabiliter est demonstratum: nonne tum victoria de dracone reportata, ut idololatriae abolitae symbolum, omnino caput rei manet, quantumvis Criticus noster refragetur? Num Archangelus, licet labarum et globus eum ut ducem et Principem maxime denotent, crux vero globo affixa simul ut victorem, (conf. Comm. p. XII. not. 12., Cur. sec. p. XIII.) num is, ut cantantium angelorum choragus, ullo significatur attributo? Nullo, inquam. At fortasse inscriptio, quae aversae numi per Criticum affingitur, eiusmodi est, ut clare indicet, quid ea sibi velit? Minime vero. Praedicat illa: *S*acra est sedes, in qua pronuntiatum est in σήματι (quod Latine uno vocabulo vertat ipse, ne nos maligne interpretatos dicat. Explicat nimirum p. XXVI. per miraculum, quod angelorum specie oblata sit exhibitum, non ut portentum et augurium, sed ut argumentum fidei faciendae²⁵⁾, quidnam? Scilicet illud, quod in altera numismatis parte legitur, omne illud: Ἅγιος, ἄγιος, ἄγιος κύριος Σαβαώθ· πλήρης ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ. Mirum profecto scilicet! stupendum ellipseos et rerum et verborum miraculum, quale in nullo unquam numismate non inficete prorsus excogitato²⁶⁾ mihi monstrabit artis

25) Ipsum vide p. XXVI.

26) Qui artis antiquae monumenta atque omnino artis opera cuiusvis explicat, aevi quidem, quo orta sunt, habita ubique ratione indagare debet eam, quae inventoris animo observata fuerit, speciem: non plus quidem quam inest, invehere, at eadem religione ne minus quidem inde explicare; neque pro inficeto habere quemquam artificii inventorem, dum ratione non longius quaesita ex opere elici potest apta argumenti et inventio et dispositio. At accidit nescio quomodo Criticis nonnullis, ut sibi placeant in eiusmodi rebus excogitandis, quas satis esse absonas negare ipsi nequeunt, ex pravo aevi ingenio excusant: id quod Critico etiam nostro accidisse videtur in gemma illa Chiffleti (conf. eundem p. XIII. et quae nos contra monuimus Cur. sec. p. XVII. XVIII.): et ut pro imperito atque insulso habeant operis alicuius auctorem, de quo multo iudicassent aequius, si veram operis indolem satis tenuissent perspectam. Atque id eidem Critico accidisse puto, ubi in numismatis nostri epigraphae de Articulo, qui in altero Substantivo desideretur, in altero sit additus, loquens, huiusmodi haud accuratam inaequalitatem non solum persimili exemplo, quod ex ipso petit S. Matthaei Evangelio, defendit, sed eam etiam facile ferendam innuit in homine, de quo haec ipsa eius sunt verba p. XXXVI.: „man möchte denn bei einem Stümper im zehnten Jahrhundert eine Ungenauigkeit dieser Art nicht dulden wollen, die“ rel. Me quidem de numismatis inventionem honorificentius iudicare prae me fero, quae

numariae intelligens. In extremo quidem libello suo ferax Critici ingenium adiicit, nisi magnus Princeps ipse gestarit numum in torque, nemini aptiorem eum fuisse, quam primario inter Vladimiri legatos oratori, aut omnibus etiam his legatis, si quidem plura illius exempla fuerint cusa ²⁷⁾, qui ipsi conspexerint angelorum in Sophiae aede apparitionem. En mihi hypothesin feliciter excogitatam ad ingentem illam et rerum et verborum ellipsin in unica illa epigraphe Franckiana supplendam. Dolendum sane, talis oratoris skeleton nondum fuisse erutum e terra, nempe cum appenso in osse pectorali et torque et numismate aureo. Quod si contigisset, ingenti illi et rerum et verborum ellipsi epigraphen Franckianam distinguenti novum quiddam praetenderetur utcunque. Sed ne quis ludere nos dicat: — *quamquam ridentem dicere verum Quid vetat?* Et sane *Aequum est, Peccatis veniam poscentem reddere rursus* —: quae ultimo loco adduntur, perpendamus, illa: *usque dum ruens dilabatur coelum ut terra, et usque dum adsit Iesus dominus nobis, filiis Christi.* Hoc scabrae epigraphes auctorem patet referri iubere non ad id, quod proxime praecedit, sed ad superiora illa: *Sacra* (est) *sedes.* Esto, etsi hac etiam in re rhetorica sordeat compositio. Verum hic, postquam insolitam illam separationem nominum IESU CHRISTI in illis Ἰησοῦς κύριος ἡμῶν, υἱοῦς Χριστοῦ, reprehenderimus, atque etiam insolitam appellationem υἱῶν Χριστοῦ non intactam reliquerimus, paullisper commoremur omnem sententiam miraturi. Quasi Sophiae templum sanctum atque adeo sanctissimum nondum fuisset vel sine illo angelorum hymno ²⁸⁾; quasi porro aedes Sophiae Constantinopolitana tantopere illustranda ac celebranda fuerit in numismate Vladimiri ²⁹⁾, sive Kioviae, sive Constantinopoli, sive Chersonese fabricato; quasi etiam ut notum illo aevo omnibus sumi posset, quod legitur apud solum Graeculum anonymum in Codice MS. Colbertino No. 4432., editum a solo BANDURIO in *Animadverss. in Constantin. Por-*

nonnisi *docti et sciti* monachi vel Byzantini vel Chersonensis mihi est visa Comment. p. XIX. XX. XIII. Qua de re perfecta omni disputatione mea cautius fieri poterit iudicium.

²⁷⁾ Pag. XLVI. „wenn mehrere Exemplare derselben geprägt wurden.“ Patet igitur, Virum doctum non respexisse ad quaestionem, an cusum sit grande numisma nostrum, an potius fusum, sed torni ope perfectum: de qua conf. quae dixi Comm. p. XIX., Cur. sec. p. VIII.

²⁸⁾ Atque hanc difficultatem Criticus sensit ipse p. XIX., ut iam animadverto libellum denuo perlustrans, eamque removit utcunque, etsi ita sententiae et vis et ἐνάργεια in epigraphe valde debilitatur.

²⁹⁾ Simile quid recte iam monuit contra Franckium Editor Ephemeridum provinciar. mari Baltico adiacentium (*Ostsee-Provinzen-Blatt*) 1824. No. 32. p. 141., etsi summe Ven. SOXTAGIUS, veteris cuius amicitia laetamur, ibidem, in Russia fabricatum esse metallionem sumi, circumspicius omisisset post ea, quae dicta sunt Comm. p. XIX. XX. XXIII. XXVI. XXVII.

phyrog. de adm. imp., quem Anonymum esse Byzantinum, ita ut de Constantinopoli tanquam de patria loquatur, affirmat Criticus p. XVII., non probat: nam utrum scriptor iste Byzantinus fuerit, an cuius, plane nescimus; quasi denique res ipsa tantum habeat probabilitatis internae, ut iterum affirmat, argumentis non docet Criticus de homine, a quo Basilium II. Porphyrogenitum cum Basilio Macedone confundi aliaque confundi ipse concedit, idem vero contendit, haec omnia minus vere aut accurate prolata nihil decernere contra caput rei, quod Anonymus haurire potuerit ex fonte Byzantino eiusdem aetatis. Potuerit haurire: quis negat? At hausisse malimus comprobatum; etsi ne id quidem numismatis Basiliani epigraphen ex Anonymo isto corrigendam transformandamque dictaret, ut correxit et transformavit Noster. Ceteroqui expositum velimus, quid idem, hac quidem in re Laconica usus brevitate, alioqui verborum non parcus, dicere voluerit illis: „praesertim quum res tantam habeat probabilitatem internam“³⁰⁾. Quidnam? Oratores illud de angelis narrasse, an rem ipsam sic evenisse? Num miraculum tum temporis factum esse putemus? Ex solius istius Anonymi in aliis rebus parum accurati fide? *Credat Iudaeus Apella*. Callide igitur machinatos esse sacerdotes Byzantinos, ut Vladimiri oratores angelos per aërem latos et psallentes videre sibi viderentur? Res neque admodum facilis erat factu, nec fraudem sola Anonymi in aliis rebus parum religiosi fide sanctis viris temere imputemus. Quid igitur restat? Aut Vladimiri oratores ad eorum, quae vidissent, magnificentiam augendam improbe finxisse, quae non fuerint experti, aut phantasiae suae praestigiis captos videre sibi visos esse, quae fieri sine miraculo non possent. Angelorum quidem apparitiones illo aevo satis frequentes narrari, earumque causa loca non pauca esse sacrata, est notissimum. At quo tandem modo inde coëgeris, in numismatis aversa legi quidquam debere de sacro eiusmodi loco³¹⁾, et quum eiusmodi nihil adsit, litteras tamdiu esse torquendas, dum misellae tortoris ad mentem mentiantur. Sic ΕΛΛ, quod ab archetypo praebetur, male dis-

30) P. XVII. „zumal da die Sache so viele innere Wahrscheinlichkeit hat.“

31) De simplici angelorum apparitione in illo Anonymi loco sermo non est, sed de eo, quod angeli de coelo descendentes una cum sacerdotibus ministerium obire solerent. Conf. *BANDURIUM* l. l. p. 63. D. *Ὡς δὲ ταῦτα ἤκουσαν οἱ τοῦ βασιλέως ἄρχοντες, πρὸς αὐτοὺς ἀπεκρίναντο λέγοντες· καὶ τάχα πάντα ἀγνοεῖτε τὰ τῶν χριστιανῶν μυστήρια, καὶ οὐ γινώσκετε ὅλως, ὅτι ἄγγελοι ἐκ τῶν οὐρανῶν κατέρχονται καὶ λειτουργοῦσι μετὰ τῶν ἱερέων ἡμῶν.* Hoc pertinere puto ad communem veteris Ecclesiae notionem, in Missa, praesertim in Eucharistia, cuius celebrationem praecipuam Missae partem haberent, angelos et hymnorum et sacrae cenae mirabili quodam modo participes esse solere.

tenditur atque amplificatur per Criticum ita, ut fingendo monogrammate \mathcal{R} fiat $\text{€}\Delta\text{P}\mathcal{A}$, aliaque, quae huius sunt farinae, ut vidimus, conflantur. Nos igitur gravissimi Annalium scriptoris, *NESTORIS*, tali in re silentium valde memorabile et animadvertamus magis et probemus, quam miremur aut queramur, licet, quod concedo, fieri possit, ut talis miraculi rumor serpsit, quem arripuerit Anonymus iste. Atque ad eiusmodi rumorem allusionem quandam in illo $\text{Ἁγίος, ἄγιος, ἄγιος}$ numismatis nostri ita statueram (Comm. p. XIV.), nihil amplius, ut, si quis talis Anonymi, in aliis parum fide digni, auctoritatem ut leviolem sperneret, acquiescere facile posset in summi prophetae, *IESAIAE*, loco celebratissimo, ubi et τρισάγιον illud memoratur, et angeli superioris ordinis (Seraphim) laudantur, Michaël Archangelus diserte non laudatur. Atque sic loco Anonymi a me non plane neglecto ita usus mihi videbar, ut Critices historicae legibus satisfecerim, quae vetant, ne testi cuiquam maiorem tribuas auctoritatem, quam qua merito ornatur, neu ex eius testimonio extorqueas, quae sine tormentis exprimat nemo. Equidem igitur ita. At doctissimo Viro post me aliam inire placuit viam in rebus historicis critice scilicet constituendis. Historicus quidem qui vere est, sine ira et studio opus exsequitur suum, non nisi rem spectat e fontibus, cuiusque fontis natura et auctoritate accurate examinata, ductam; ubi non consentiunt testes, locuples testis praefertur ei, qui dubia fide notatur. Ubi inscriptiones et numi in censum veniunt, utrumque monumentorum genus, ut ipsum est, exigit, non ut esse tute iubeas; coniecturis non nisi provide et caute in subsidium vocatis, atque ita, ut nusquam maiorem eis tribuat vim, quam quae merito conceditur. Nunquam autem, ut, ab opinionibus aut praeoccupatis aut praeformatis profectus, eas rebus inferat, committet. Etenim, qui ita agit, non quaerit is verum, sed, quod verum haberi velit, ut id ita videatur, laborat, suis rem accommodans commentis. Quae facta sunt nunquam, tunc referuntur tanquam facta, ut h. l. S. Michaëlis in Sophiae aede Vladimiri oratoribus praesentibus apparitio, atque inde ducta eius ut statoris Graecae Religionis in Russia laus, quae nusquam apud scriptores leguntur, neque in numismate Basilii adsunt, inscriptione tantum nituntur ita, ut vidimus, variis fictionibus superstructa. Qua re quo minus offendantur lectores, is qui antecessit inquirendo, rem simpliciter spectans, perstringendus atque increpandus erat ob id ipsum, quod a praestigiis, quibus abducitur, qui opinionis propriae commentis indulsit, (quae delet dies, ut Historiae, Naturae

comitis, iudicia confirmat,) tutum praestitit mens integra, haud occupata. Imperitis autem quo confidentius (an arrogantius addere iure optime potuissem, si voluissem, iudicent aequi) talia propinantur, eo facilius incautos eorum movent ac pellunt animos novae opinionis blanditiis. Nam blanda ut sit opinio, quodam modo se ipsa commendans, cura adhibetur omnis. Quippe legerat, qui scribendo successit, apud me de dracone apocalyptico per S. Michaëlem debellato ut de symbolo idololatriae, ex quo fonte derivatam Religionis Christianae sub Vladimiro I. in Russia institutae memoriam numismate aureo celebrari, non male a me sumptum acumine agnoverat suo. Iam obscurâ epigraphie hoc confirmatum volebat recte, quod me confirmaturum sperabam ipse, etsi, ut incederem tutius, non prius quam comparato archetypo, postquam de characteribus quibusdam dubiis mihi constisset satis. Addere insuper cupiebat reperto, si fieri posset, S. Michaëlem, a quo ego ad Apocalypsin respiciens Kioviae patronum suum probabiliter vindicasset, ut Graecae Religionis in Russia statorem a se demum demonstratum. Ad quam demonstrationem Anonymi Graeci loco abutendum erat ita, ut aversae inscriptio ad libidinem corrumpetur. Ut proprii ἐργαίου augeatur laus, dicendum erat, Michaëlem apud me ut idololatriae quidem victorem apparere, at non Russicae nationis habita ratione, si quis mecum allusionem ad decem Russorum neget idola ³²⁾. Quasi is, qui allusionem ad denarium idolorum numerum infitiat, quia decadicum systema mythologicum tum temporis constitisse negat non temere, eam ob causam negare debeat allusionem ad idola Russica S. Michaëlis numine eversa; cuiusmodi allusionem ego tantum abfui ut infitias irem, ut disertis verbis eam praedicando praeiverim succedenti ³³⁾. Sed plura eiusmodi, quae possim, nisi de-
nuo provocer, addere piget.

IX.

Epigraphes dubiae nova proponitur lectio atque explicatio.

Iam quo minus ego hac saltem in re videar τῷ κριτικωτάτῳ illis adnu-

32) Conf. Franckii libellum p. IV. XLIII.

33) Pag. XIV. „Iam legat mihi, cui placet, etiam illa quae narrantur ab Annalium scriptore de idolis abolitis, maxime de Peruno everso, et accommodatius etiam in altera numismatis parte inveniat monstrum illud pluribus capitibus distinctum — —. Neque illud praetermitti velim, famam apud populum fuisse, Michaëlem Archangelum, qui olim Satanam de coelo praecipitaverit, in Peruno, primario Slavorum Kioviensium idolo, de collibus Borysibeni adiacentibus praecipitando manum admovisse adiutricem: quam famam testatur certe templum, quod nomini Michaëlis Archangeli illic dedicatum est“, rel.

merandus Criticis, qui negant duntaxat ³⁴⁾, integri nihil pariunt ipsi, tandem proponenda est mea totius epigraphes obscurae lectio atque explicatio, quam oppugnet, qui volet: at ne, ut rustice obiurgando alter urgeat alterum, sed ut subtiliter disputando, adversis sententiis commissis et quasi attritis, veri prosiliant scintillae.

In archetypo igitur aureo numismatis Basilii Petropoli in Numophylacii Caesarei thesauris servato haec dico legi: ΥΓΙΡΑΗΕΛΑΙΑΗΕΛΑΒΟΗΕΗΙΟΙΟΙΟΙ-ΙΗΛΙΕΡΕΟΟΔΡΑΚΟΗΟΥΡΥΧΗΚΕΟΟΑΡΗΙΟΚΩΗΗΚΤΙ. Quae sic distinguo: ΥΓ ΙΕΡΑΗ ΕΛΑΙΑΗ ΕΛΑΒΟΗ ΕΗ ΙΟΙΟΙ ΙΗΛ ΙΕΡΕΟΟ · ΔΡΑΚΟΗ ΟΥΡΥΧΗ ΚΕΟΟ ΑΡΗΙΟ · ΚΩ Η ΗΙ Κ ΤΙ. Haec esse puto: Ὑμᾶς ἱερῶν ἐλαίων ἔλαβον ἐν υἰοῖς Ἰσραὴλ ἱερέος · δράκων ὄρουσε σκαιὸς ἀγνῶν · κυρίου ἢ νίκη καὶ τιμὴ. In sola voce ὄρουσε scalptorem aberasse statuo isto οὐρῶση, lapsu in confundendis ordine duabus syllabis similiter sonantibus apud librarios et scalptores tam vulgari, ut putidum sit exemplis velle comprobare. H pro Ε positum mirum non est in frequente illa utriusque litterae in codicibus et inscriptionibus confusione, quum η inde a saeculo p. Chr. VIII. saepissime quidem i sonet, nonnunquam tamen e. ΚΕΟΟ nihil aliud est quam σκαιός, scaevus, malum minans, importunus, infensus, quod scriptum σκαος nemo mirabitur, qui αι inde a saeculo post Chr. II. habuisse sonum ä et e, inde a saeculo V. nonnisi sonum e, probe sciat ³⁵⁾. ΕΗΙΟΙΟΙ esse ἐν υἰοῖς, quod primus vidi, vix dubitabit, qui mecum agnoscat, ΙΗΛ esse compendium vocis Ἰσραὴλ, quod frequentissime occurrere compertum habent, qui codices tractant; neque illam mirabitur scripturam, qui noverit, υ inde a saeculo post Chr. VI. non alium habere sonum quam ι. Quod ΥΓ sumo pro compendio pronominis ὑμᾶς, in eo sequor et sensus, quem erui, facilitatem in epigraphae initio non magis quam finem versus obscuriore, et analogiam compendii in voce ΚΟ pro κύριος, ΚΩ pro κυρίου. Quod ΗΙΚΤΙ intelligo νίκη καὶ τιμὴ, mirum non erit ei, qui η sciat inde a saeculo VI. habere sonum ι et ε, a saeculo VIII. vulgo ι, ita ut etiam in compendiis ΗΙ et ΤΙ constet analogia coniunctae vocabuli litterae primae atque ultimae ex sono scriptae. K a me

34) Quos intelligit p. X. in illis: „weil ich mich sonst unfehlbar den etwas langweiligen Warnungen gewisser negativer Kritiker ausgesetzt hätte, denen jeder Vorwand, den geraden Weg zum Ziele für unsicher ausgeben zu können, erwünscht ist, um desto gemächlicher auf Nebenwegen um dasselbe herum zu spazieren.“ Scilicet desunt exempla eorum, qui recto itinere audacter enisi ex alto deiciuntur.

35) Quae de litterarum quarundam Graecarum alio aliis saeculis sono significantur, in iis sequor eum, qui ex praestantissimi HERMANNI schola nuperrime prodiit, GUSTAVUM SEYFFARTHUM in opere: *De sonis litterarum Graecar., tum genuinis, tum adoptivis, libb. II.* Lips. 1824. octonis.

sumitur pro KAI, ut est in numismatis adversa in istis KITT pro illis καὶ ἢ γῆ. De forma incurva litterae I in voce ΙΕΡΑΗ dixi supra (p. V. XXII.), ut de omissa lineola aequa et de deficiente rotunda in superiore parte secundae litterae A in voce ΕΛΑΙΑΗ. Memorabile est, anticae etiam litteram A valde esse imperfectam in voce ΣΡΑΗΟC. In verbo ΕΛΑΒΟΗ littera, quam pro B habeo, in parte inferiore caret lineola rotunda. At eandem lineolam in numismatis adversa abesse vidimus in tertia littera vocis CΑΒΑΟΘ, ita ut imperfecta consonantis B forma eiusdem monumenti firmetur exemplo. Quapropter in Comm. P. I. p. VIII. lin. 2. verba: „nonnisi manus scalpentis lapsa videatur: certe“ sic iam velim mutata: „notanda est forma insolentior etsi“. In voce ΙΕΡΕΟC tertiae litterae deest lineola rotunda in capite; at abest eadem in numismatis adversa in illo P vocis ΣΡΑΗΟC. Ceterum vocem ΙΕΡΕΟC inter exempla vocum Graecarum nuper iam laudassem, nisi ob mancam formam litterae P quorundam praevidissem contradictionem, et nisi, iam tum divinans, hanc ipsam vocem, quam *TYCHSENUS* quoque agnovit, etsi integrum epigraphes sensum eruere se posse Vir eruditissimus modeste negavit, aptae se praebituram sententiae, aliorum attentioni eam paullisper subtrahere quam commendare maluissem, ne integram ante nos alii sententiam proponerent investigatam. In omnibus his patet me unum quidem scalptoris lapsum in confundendo ordine litterae ω et diphthongi ου statuisse, compendiis porro recte indagandis operam dedisse, singularum denique litterarum imperfectam excusasse scalpturam, hoc vero haud dubiis alterius inscriptionis Graecae in eodem monumento exemplis: at nihil plane in litteris, ut sunt in archetypo aureo, virgulae divinae ope mutasse, nusquam rariora eaque huc non pertinentia ex inscriptionum thesauri indicibus aliisque loculis conquisivisse, neque ullum monogramma in auxilium vocasse; ut taceam de tristi litterarum inserendarum remedio, de miro crucis abusu, de folii somnio; nec metuum ipse reprehensionem de totius sententiae ineptia, adeove de universi et artificii et monumenti natura per importunam hac quidem in re imperitiam perversa.

Me igitur si qui in praeclaro vetustatis monumento interpretando ἐξῆγητήν non recusant, tota inscriptio tribus hisce constat partibus:

1) Ὑμᾶς ἱερὰν ἐλαίαν ἔλαβον ἐν υἱοῖς Ἰσραὴλ ἱερέος. Favete linguis! *DEUM* ipsum audimus loquentem: *Vos sacram sumpsi oleam in filiis Israel sacerdotis.* Christianos notum est in N. T. ἱερεῖς vocari, ut *Apoc.* I. 6. καὶ

ἐποίησεν ἡμᾶς βασιλείαν, ἱερεῖς τῷ Θεῷ καὶ πατρὶ αὐτοῦ. Ib. V. 10. καὶ ἐποίησας αὐτοὺς τῷ Θεῷ ἡμῶν βασιλεῖς καὶ ἱερεῖς. Ib. XX. 6. ἀλλ' ἔσονται ἱερεῖς τοῦ Θεοῦ καὶ τοῦ Χριστοῦ. Conf. *IES.* VI. 6., *maxime vero I. PETR.* II. 9. Ὑμεῖς δὲ, γένος ἐκλεκτῶν, βασιλεῖον ἱεράτευμα, ἔθνος ἅγιον, λαὸς εἰς περιποίησιν, ὥπως τὰς ἀρετὰς ἐξαγγείλητε τοῦ ἐκ σκότους ὑμᾶς καλέσαντος εἰς τὸ θαυμαστὸν αὐτοῦ Φῶς· οἱ ποτὲ οὐ λαὸς, νῦν δὲ λαὸς Θεοῦ· οἱ οὐκ ἠλεημένοι, νῦν δὲ ἐλεηθέντες. Etenim iam in *Exodo* XIX. 5. 6. Deum *MOSES* narrat edixisse, quae ex versione *LXX.* Interpp. (ed. Lips. 1697.) hoc loco repetiisse iuvabit; — ἔσεσθέ μοι λαὸς περιούσιος ἀπὸ πάντων τῶν ἔθνων· ἐμὴ γὰρ ἐστὶ πᾶσα ἡ γῆ. Ὑμεῖς δὲ ἔσεσθέ μοι βασιλεῖον ἱεράτευμα καὶ ἔθνος ἅγιον· ταῦτα τὰ ῥήματα ἔρεῖς τοῖς υἱοῖς Ἰσραήλ. Quae vertit *SEB. CASTALIO*: — *me eos habiturum esse pro peculio, ab omnibus populis separato, (nam meus est universus orbis terrarum) proque regno sacerdotum, et gente sancta* ³⁶⁾. *Haec sunt quae Israëlitis referes.* Conf. *Deuteronom.* VII. 6. Ὅτι λαὸς ἅγιος εἶ κυρίῳ τῷ Θεῷ σου· καὶ σὲ προσείλετο κύριος ὁ Θεός σου εἶναι αὐτοῦ λαὸν περιούσιον παρὰ πάντα τὰ ἔθνη, ὅσα ἐπὶ προσώπου τῆς γῆς. *Estis enim sacer Iovae Deo vestro populus, qui vos elegit, ut sitis ei peculiaris populus, prae omnibus ceteris orbis terrarum populis.* Atque ille *Exodi* locus celebratissimus me arbitro fundus quasi censendus est primae inscriptionis nostrae parti recte explicandae, isque aptissime lectus a numismatis, quisquis fuit, inventore. Christiani, Dei cultui devoti, pie eum colunt, ab ipso prae ceteris dilecti. Qui in Christi recepti sunt Ecclesiam, sacerdotali genti, cuius ipso summo antistite ac pontifice gloriantur, sunt adscripti. Quod *S. VLADIMIRO* imperante Russorum contigit nationi. Primos enim Christianos nullo magis, quam hoc ipso *sacerdotum* nomine constat esse gavisos ³⁷⁾. Verba ἱερὰν ἑλαιάν iis, qui in *N. Test.* hospites non sunt, facillime explicantur. Iudaeis *oleam* ob fertilitatem, et quod semper viret ³⁸⁾, in maximo fuisse pretio, est notissimum, quodque beatum vellent praedicare ac propter virtutes laudare, eos cum olea id comparasse; etiam *Epistolá*

³⁶⁾ Quibus verbis notionis Theocratiae universum ambitum contineri recte iudicavit *DAN. a COELLEN* in commentatione: *Ueber das Symbol der Theokratie im Hebraismus*, p. 212., quae legitur in *WACHLERS Philomathiae* Vol. III. p. 207. seq.

³⁷⁾ Conf. luculentam rei explicationem in *NEANDRI* libro: *Denkwürdigkeiten aus der Geschichte des Christenthums und des christl. Lebens*, Vol. I. P. II. p. 58. seq. 61—64., et doctam illustrationem e *Tertulliano* maxime petitam ib. p. 179—187.

³⁸⁾ Conf. *SCHLEUSNERI N. Lexic. in Nov. Test.* voc. ἑλαία, aut *BRETSCHNEIDERI Lex. manuale in libb. Nov. Test.* h. v.

ad Rom. XI. 17—24. oleam esse coetus verorum Dei cultorum, ut uno verbo dicamus, *Ecclesiae*, imaginem.

2) Δράκων ὄρουσε σκαιὸς ἀρνίω. *Draco irruit infestus agno.* Typorum in utraque numismatis parte ex *Apocalypseos* cap. XII. 7—12. petitorum, (Comm. P. I. §. V.) quibus *Christianismi de idololatria victoria sub Vladimiro I. in Russia parta* praedicetur ac celebretur, (ib. §. VI. VII. P. II. §. XII. XIII.) repertum meum quaecumque iam videmus confirmatum hac et sequente inscriptionis parte. Δράκων ὄρουσε (sculptoris lapsus ΟΥΡΥΣΗ³⁹) iam attigimus p. XXXIV., nec mirati sumus in eo, qui scripsit ΠΑΙΡΙC et Ι ΓΙ pro illis πλήρης et ἡ γῆ,) dictum est similiter atque Homericum *Il. β, 308. 310.*

— — — δράκων ἐπὶ νῶτα δαφονίς,
 σμερδαλέος, τὸν ἑαυτὸς Ὀλύμπιος ἦκε Φώσδε,
 βωμοῦ ὑπαίξας, πρὸς ἑα πλατάνιστον ὄρουσεν.

3) Κυρίου ἡ νίκη καὶ τιμή. *Domini (est) victoria et honos.* Diabolus draconis formâ agnum hostiliter aggressus, per S. Michaëlem Archangelum, qui idem Archistrategus (P. II. §. XIII.) et gentis Iudaicae magnus Princeps et patronus perhibetur (P. I. §. VI.), iamiam victus apparet, secundum ea, quae *Apocalypsis* l. I. refert. Simul numismatis in antica et in aversa typi victum commonstrant, quum in illa S. Michaël praeter labarum, quo Archistrategus indicatur, in globo, imperii symbolo, crucem, victoriae per Christum partae signum, exhibeat spectandam, in hac vero, ut iam observavimus (P. I. §. VI. Conf. Cur. sec. §. IV. p. XIII.) inferorum Princeps per suam draconis formam sic implicatam, ut monogramma nominis *IESU CHRISTI* per ipsam praebeatur, divini Redemptoris nomini se prodat humiliter subiectum. Quod magis illustratur adiecto brevi epinicio: Κυρίου ἡ νίκη καὶ τιμή. Hoc etsi ad verbum in *Apocalypsi* non occurrit, similia tamen ibi plura reperiuntur, ut I. 6. Αὐτῶ ἡ δόξα καὶ τὸ κρᾶτος —. V. 13. Τῶ καθήμενῳ ἐπὶ τοῦ θρόνου καὶ τῶ ἀρνίῳ ἡ εὐλογία καὶ ἡ τιμὴ καὶ ἡ δόξα καὶ τὸ κρᾶτος —. Atque alii eiusmodi hymni, ut VII. 12. XII. 10. 11. Ἄρτι ἐγένετο ἡ σωτηρία καὶ ἡ δύναμις καὶ ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ ἡμῶν κ. τ. λ. Καὶ αὐτοὶ ἐνίκησαν αὐτὸν (sc. τὸν δράκοντα) διὰ τὸ αἷμα τοῦ ἀρνίου κ. τ. λ. Idololatriae igitur, quae Sa-

39) Ζ pro C adhibitum agnoscit etiam *FRANCKIUS* p. XXXIV., ab *ED. DODWELLO* in marmoribus et a *ΜΙΟΝΝΕΤΟ* in numis observatum. — Loco potius alieno, quam nullo lectorem monitum volumus, quod modo animadvertimus, apud nos p. XXXIII. lin. 2. typhotetae errato positum esse *optime*: esse debebat *optimo*. Pag. XXV. lin. 26. XXVI. lin. 2. et 5. XXXIV. lin. 8. et 9. forma adhibita litterae U male longior est, quam in archetypo.

tanae regnum et a Iudaeis et a Christianis haberetur, Religionis Christianae in Russiam deductae beneficio abolitio in secunda et tertia inscriptionis nostrae parte disertis verbis praedicatur.

Omnis autem inscriptio difficilior iam ita est lecta, explanata atque illustrata, ut, quo ab initio tenderemus, eo dicere ausimus nos nunc quidem pervenisse. Hypothesin nostram constanter persequi, in votis hoc erat. Quam probabilem reddidisse idoneis harum rerum existimatoribus, (nam ultra probabilitatem verique similitudinem quandam in huiusmodi monumento singulari nemo nostrum progredietur, qualiscunque erit vultus praeclara minantis,) rem igitur probabilem reddidisse si contigit, sat habemus; nec poenitebit operae, etiamsi fas fuerit addere illud:

— — — — *Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti: si non, his utere mecum.*

I. SCHOLAE THEOLOGORUM.

RUDOLPHUS HENZI, D., a Consil. Aul., Exegeticae et LL. OO. P. P. O., Ordinis Theol. h. t. Decanus, 1) *Evangelium Epistolasque Ioannis* explicabit, quinquies per hebd., hor. VIII—IX. 2) *Salomonis Proverbia*, inde a capite XVIII., nec non *Ecclesiasten* interpretabitur, ter per hebd., dieb. Lun., Merc. et Ven., hor. IX—X. 3) *Hebraicam linguam* docebit secundum *Gesenii Elementa*, bis, dieb. Mart. et Iov. hor. IX—X. 4) *Arabicam linguam* addiscere studiosos instituet die Sat. hor. IX—X. 5) In Seminario Theologico et commentationibus catecheticis in Pericopas evangelicas habendis praeerit, et Latine de rebus exegeticis scribendo et disputando exercebit Sodales die Sat. hor. VIII—IX.

LAURENTIUS EWERS, D., a Consil. Status, Theologiae dogmaticae et moralis P. P. O., Ordinis S. Annae Eques secundae Classis, 1) *Criticam introductionem in vetus Test.*, ad *Brockmanni: Primae Criticae Sacrae Vet. Test. lineae*, sexies p. hebdom., hor. IX—X. 2) *Theologiae dogmaticae partem priorem*, sexies p. hebd., X—XI. 3) *Theologiam Moralem*, itidem sexies p. hebdom., II—III, publice, tradet.

THEOPHILUS EDUARDUS LENZ, a Consil. Aul., Theologiae practicae P. P. O., 1) *Conspectum encyclopaedicum studii theologici* dabit ter per hebd., 2) *Exercitationes homileticas* in Seminario Theologico semel per hebd. diriget.

ANDREAS CASPAR FRIDERICUS BUSCH, D., a Consil. Aul., Historiae ecclesiasticae et Litteraturae theologiae P. P. O., 1) *Historiae ecclesiasticae partem priorem* enarrabit sexies p. hebd. hor. XII—I. 2) *De vitis et scriptis insignium Ecclesiae Patrum* narrationem instituet quater, dieb. Lun., Mart., Iov. et Ven. hor. III—IV.

II. SCHOLAE IURISCONSULTORUM.

CHRISTOPHORUS CHRISTIANUS DABELOW, D., a Consil. Collegior., Ordinis domus Magn. Hass. Duc. Eques, Ictorum h. t. Decanus, Iuris civilis et Iurisprudentiae practicae P. P. O., 1) *Pandectarum* cursum alterum emetietur, ad *Conspectum suum*, quinquies p. hebd., hor. IV—V. 2) *Ius hereditarium* exponet die Iov. hor. V—VI. 3) *De concursu creditorum* disseret die Ven. hor. V—VI. 4) *Iurisprudentiam extraiudicalem* tradet ter, dieb. Lun., Mart. et Merc. hor. V—VI. ad *Conspectum suum*; 5) *Quaestionis capitalis* rationem explicabit die Sat. hor. XI—XII.

IOANNES GEORGIUS NEUMANN, a Consil. Status, Ordinis S. Annae secundae classis Eques, Iuris Russici P. P. O., Tribunalis academici, quo appellatione certatur causaeque recognoscuntur, h. t. Praeses, 1) *Ius publicum Russicum* tradet quinquies p. hebd. 2) *Graviores de Iure hereditario constitutiones Imperatorum Russ.* explanabit ter p. hebd. horis indicendis.

WALTERUS FRIDERICUS CLOSSIUS, D., a Consil. Aul., Iuris criminalis, Processus criminalis, Hist. Iuris et Hist. Litterariae iuridicae P. P. O., 1) *Encyclopaediam iuridicam* proponet quinquies p. hebdomadae; 2) *Iuris Romani historiam* enarrabit, quinquies horis indicendis.

Cathedrae Professorum ordinariorum 1) Iuris provincialis et theoretici et practici, 2) Iuris publici et gentium ac Politices sunt vacuae.

III. SCHOLAE MEDICORUM.

FRIDERICUS PARROT, D., a Consil. Aul., Ord. Medicorum h. t. Decanus, Physiologiae, Pathologiae et Semiotices P. P. O., 1) *Physiologiam* exponet applicatam ad Medicinam practicam, ter per hebdomadae hor. VII—VIII. matut. ad *Heckeri* Physiologiam pathologicam. 2) *Colloquia* dabit *physiologica* lingua usus Germanica, bis, dieb. Lun. et Iov. h. IV—V. 3) De rebus medicis quibuscunque *Latine disputandi* ansam praebebit, dieb. Mart. et Iov. hor. VII—VIII. 4) *Aetiologiam generalem* tradet *morborum hominis*, secundum *Klosii* librum, dieb. Mart. et Ven. hor. IV—V.

MARTINUS ERNESTUS STYX, D., a Consil. Status, Diaetetics, Materiae medicae, Historiae Medicinae et Litteraturae medicae P. P. O., 1) *Materiae medicae partem priorem* exponet iunctam cum *arte formulas medicas conscribendi*, secundum Pharmacopoeam castrensem Ruthenicam, sexies per hebdomadae, hor. XII—I. 2) *Diaeticam* secundum *Feileri* librum, dieb. Merc. et Saturn. hor. XI—XII.

CHRISTIANUS FRIDERICUS DEUTSCH, D., a Consil. Status, artis obstetriciae et morborum mulierum et infant. P. P. O., 1) *Artis obstetriciae* partem alteram practicam docebit secundum *Sieboldi* librum, quinquies p. hebdomadae, hor. VIII—IX. 2) *Exercitia practica* in phantasmate instituet explorationum et operationum causa, d. Saturni hor. VIII—X. 3) *Clinicum obstetricium* diriget hor. IX—X, quandocunque opportunitas dabitur, partusque ipsos in Instituto sese offerentes moderabitur. 4) *Morbos infantium* pertractabit, librum *Henkii* secuturus, quinquies p. hebdomadae hor. III—IV.

LUDOVICUS EMILIUS CICHORIUS, D., a Consil. Aul., Anatomiae et Medicinae forensis P. P. O. 1) *Osteologiam* et *Syndesmologiam* docebit ducibus *Blumenbachio* et *Lodero*, sexies hor. VIII mat. 2) *Anatomes cursum alterum* aperiet in usum alumnorum Caesareorum, sexies, hor. III. 3) *Medicinam forensis* proponet *Mezgero* duce, in usum alumnorum Caesareorum, sexies hor. VI—VII, vespert.

IOANNES CHRISTIANUS MOIER, D., a Consil. Collegior., Chirurgiae et theoreticae et practicae P. P. O., 1) *Chirurgiae theoreticae* partem alteram exponet *Ebermaiero* duce, quinquies, hor. XI—XII. 2) *De operationibus chirurgicis* disseret, *Zangium* secuturus, dieb. Mart., Iov. et Ven. hor. XII—I. 3) *Clinicum chirurgicum* diriget quotidie, hor. IX—X.

LUDOVICUS AUGUSTUS STRUVE, D., a Consil. Aul., Therapiae et Clinices P. P. O., 1) *Therapiam generalem* docebit quater p. hebdomadae hor. VII—VIII. matut. 2) *Therapiam specialem* continuabit quater hor. IV—V. 3) *Clinicum medicum* diriget quotidie hor. X.

*

*

*

HERMANNUS KOEHLER, D., privatim docens, 1) *Medicinae historiam* enarrabit, ducibus *Heckero* et *Choulantio*, sexies p. hebd., hor. V—VI. 2) *Politiam medicam* docebit secundum *Berntii* librum, bis p. hebd., hor. XI—XII, dieb. Mart. et Ven.

IOSEPHUS GODOFREDUS ADOLPHUS WACHTER, D., loco Prosectoris, **IO. FRID. ESCHSCHOLTZII**, Professoris P. E. O., qui cum venia impetrata peregre abest, in usum alumnorum Caesareorum et *praeparandi exercitationes anatomicas* instituet, et *Repetitorium anatomicum* denuo incipiet.

IV. SCHOLAE PHILOSOPHORUM.

BASILIVS PEREWOSTSCHIKOV, D., a Consil. Aul., Ord. S. Vladimiri IV. Class. Eques, Philosophorum Ordinis Classis I. et III. h. t. Decanus, Linguae et Litt. Russ. P. P. O., 1) *Litteraturae Russicae historiam* narrabit, secundum opera scriptorum, simul Lexicon historicum Russicorum ecclesiasticorum et *Novicovii* Lexicon scriptorum Russicorum adhibiturus; 2) *Selecta poetarum et scriptorum Russicorum loca* philologicè et aesthetice explicabit; 3) Tironum in usum *Grammaticam Russicam* illustrabit, eosque vertendo exercebit, quater p. hebd. dieb. Lun., Mart., Iov. et Ven., hor. IV—VI. 4) In Seminario Paedag. et Philol. linguae Russicae discendae docendaeque rationem monstrabit die Sat. h. IV—V.

GODOFREDUS OSANN, D., a Consil. Aul., Philosophorum Ordinis Class. II. et IV. h. t. Decanus, Chemiae et Pharmaciae P. P. O., 1) *Chemiæ organicam* docebit bis p. hebd. 2) *Pharmaciam* quater, hor. X—XI.

GEORGIUS FRIDERICUS PARROT, D., a Consil. Status, Physices et theoreticae et applicatae P. P. O., Ordinis S. Vladimiri quartae classis Eques, 1) *Physices theoreticae* partem priorem sexies p. hebd. hora XI—XII. 2) *Physicam orbis terrarum* quinquies p. hebd., diebus Lun., Mart., Iov. et Ven., hora IV—V. pomeridiana, docebit.

GOTTLOB BENIAMIN IAESCHE, D., a Consil. Status, Philosophiae et theoreticae et practicae P. P. O., 1) *Logicam* enucleabit ad *Kantii* librum a se editum, ter p. hebd., dieb. Lun., Iov. et Ven. hor. X—XI. 2) *Anthropologiam psychicam* exponet duce *Iacobo* (*Grundrifs der emp. Psychol.*, Lips. 1814), ter, dieb. Merc., Iov. et Sat. hor. X—XI. 3) *Ethicam* ad libellum suum (*Grundlinien der philos. Sittenlehre*, Dorp. 1824), ter, dieb. Lun., Mart. et Ven. h. XI—XII. 4) *Recentioris Philosophiae historiam* narrabit duce *Tennemanno*, ter, dieb. Merc., Iov. et Sat. hor. XI—XII. 5) In Seminario Paedag. et Philol. *exercitationes didacticas* diriget, semel p. hebd. hor. IV—V.

CAROLUS MORGENSTERN, D., a Consil. Status, Ordinis S. Vladimiri quartae Classis Eques, Eloquentiae, LL. Gr. et Lat., Aesthetices et Hist. Art. P. P. O. 1) *Archaeologiae* sive *Historiae Artis antiquorum populorum partem priorem* exponet quinquies per hebd., dieb. Mart., Merc., Iov., Ven. et Sat. hor. VIII—IX., tum ad *Beckii* librum, tum ad dictata. 2) *Antiquitatum Romanarum partem alteram* tradet, *privatam* maxime *Romanorum vitam* descripturus, adhibito *I. L. Meyeri*

libro addita optimorum de quovis capite librorum notitia critica, ter, dieb. Mart., Iov., et Ven. hor. IX—X. 3) In Seminario Paedagogico et Philologico sodales tum *Theocrito* interpretando, tum Latine et loquendo et scribendo exercebit bis, dieb. Merc. et Ven. hor. IV—V.

IOANNES GUILIELMUS KRAUSE, D., a Consil. Status, Ordinis S. Vladimiri Class. IV. Eques, Oeconomia, Technologiae et Architecturae civilis P. P. O., tradet: 1) *Elementorum rei rusticae partem alteram*, duce *Thaerio*, quater p. hebd., dieb. Lun., Mart., Iov. et Ven. hor. tradet X—XI. 2) *Architecturae civilis elementa* ducibus *Gilly* et *Friderici* quater p. hebd., dieb. Lun., Mart., Iov. et Ven. hor. III—IV. 3) *Exercitationes ichnogr. formarum architecton.* moderabitur bis p. hebd. dieb. Merc. et Sat., hor. X—XII.

FRIDERICUS EBERHARDUS RAMBACH, D., a Consil. Status, disciplinarum quae pertinent ad rem cameralem, ad reditus et rem mercatoriam P. P. O., 1) *De re mercatoria* disseret *Beckmannum* secutus ter p. hebd. hor. VIII—IX. 2) *De cambio*, eodem duce, bis p. hebd. hor. VIII—IX. 3) *Politiam universalem* docebit, respiciens potissimum *Sonnenfelsii* librum (*Grundsätze der Polizey, Handlung und Finanz*), quater p. hebd. hor. XII—I.

GUSTAVUS EWERS, D., Universitatis litt. h. t. Rector magnif., a Consil. Status, Ordinum S. Vladimiri tertiae classis et S. Annae Classis secundae Eques, doctrinarum statisticarum et geographicarum P. P. O., 1) *Conspectum status praesentis earum Europae rerumpubl.* dabit, quibus qui imperant foederi Germanico adscripti non sunt, duce *Hasselio* (*Statist. Umriss, Weimar, 1823*), quinquies hor. IX—X. 2) *Aevi recentioris historiam* enarrabit, suum filium secuturus, iisdem diebus, hor. X—XI.

CAROLUS FRIDERICUS LEDEBOUR, D., a Consil. Status, quum Historiae naturalis universae, tum Botanices P. P. O., 1) *Botanicam pharmaceuticam* docebit quater hor. XII—I. 2) *Zoologiam*, duce *Blumenbachio*, bis hor. XII—I. 3) *Analysin plantarum* monstrabit semel.

FRIDERICUS GUILIELMUS CAROLUS DE ADERKAS, a Consil. Aul., Disciplinarum milit. P. P. O., tradet: 1) Per temporis semestris spatium *Doctrinam organismi militaris* quater p. hebd., dieb. Lun. et Mart. hor. II—IV. pomerid. 2) Per primam sem. partem dimidiam *castrorum muniendorum artem* quinquies, dieb. Merc. hor. VIII—IX mat., Iov. et Ven. II—IV. pom. 3) Per secundam sem. partem dimidiam *Isagogen encyclopaedicam ad Tacticam et Strategiam addiscendam* dieb. Merc. hor. VIII—IX, Iov. et Ven. h. II—IV pomerid. 4) Quousque per tempestatem licet, *Exercitationum geodaeticarum in campis*, quater p. hebd. horis, die Merc. hor. II—VI pomerid. 5) Ex quo vero per tempestatem non licet *Exercitationum artis graphicae militaris* bis p. hebd. duces se praebent die Merc. hor. II—IV. pomerid.

GUILIELMUS STRUVE, D., a Consil. Aul., Astronomiae P. P. O., 1) *Astronomiae theoreticae* partem alteram docebit duce *Bohnenbergero*, quater hor. X—XI. 2) *Calculi differentialis elementa* bis, dieb. Merc. et Sat. hor. X—XI. 2) *De temporis et latitudinis definitione* disseret *Bohnenbergero* duce, bis, dieb. Lun. et Iov. hor. IV—V.

MARTINUS BARTELS, D., a Consil. Status, Matheseos et purae et applicatae P. P. O., 1) *Mathesin applicatam* tradet *Lorenzium* secu-

turus, quater, dieb. Lun., Mart., Iov. et Ven. hor. VIII—IX. matut.
 2) *Trigonometriam et planam et sphaericam*, die Merc. et Sat. hor. VIII—IX. 3) *Calculus differentialem et integralem* enucleabit duce *Lacroix*, quater dieb. Lun., Mart., Iov. et Ven., hor. IX—X. 4) *Geometriam analyticam* exponet, duce *Monge*, dieb. Merc. et Sat. hor. IX—X.

MAURITIUS DE ENGELHARDT, D., a Consil. Aul., quum Historiae naturalis universae, tum Mineralogiae P. P. O., 1) *Mineralogiam* docebit, bis p. hebd., hor. X. 2) *Geognosiam*, ter p. hebd. hor. XII. 3) In *fossilibus definiendis* exercebit Auditores, ter p. hebd. hor. XI.

IOANNES VALENTINUS FRANCKE, D., a Consil. Aul., Hist. litt., LL. Gr. et Lat. et Paedagog. P. P. O., 1) *Luciani Dialogos Mortuorum* explicabit quater per hebd. dd. Lunae, Mart., Merc. et Ven. hor. III. pomerid. 2) *Horatii Carminum* lib. III.—IV. una cum carmine saeculari interpretabitur, addito prooemio de Horatio lyrico, iisd. dd. hor. IV. 3) Seminarii paedagogici ac philologici Sodalium tum enarrandae fabulae Terentianae, tum Latine et scribendi et colloquendi exercitationibus praesesse perget, dd. Lun. et Merc. hor. V.

Cathedra Professoris ord. Historiae est vacua.

V. LINGVAE HODIERNAE ET ARTES.

- I. Linguas recentiores docebunt Lectores publice constituti, et quidem ex legibus academicis binis quisque p. hebd. horis gratis: 1) *Russicam* **FRID. GE. BUNGE**, Classis X., qui formarum magistrum *Tappio* duce se praebebit: gratis bis p. hebd., horis quas indicabit. 2) *Francogallicam* **VALLET DES BARRES**, D., Consiliarii titulo ornatus, qui *Colloquia* bis habebit gratis diebus Lun. et Ven., hor. II., praeterea de *Litteratura Francogallica* disseret bis, horis indicandis. 3) *Germanicam et Italicam* **EDUARDUS RAUPACH**, Classis X., qui *Grammaticam Germanicam* exponet bis per hebd. gratis. Praeterea *Germanice scribendi arte* exercebit Auditores ter per hebd. Idem *Grammaticam Italicam* gratis docebit bis per hebd.; etiam *Tassonis Hierosolyma liberata* ter per hebd. explicabit. 4) *Anglicam* **IO. FRID. THOERNER**, Classis X., qui linguae Anglicae discendae praecepta dabit gratis dieb. Merc. et Sat. hor. III. 5) *Leticam* **BENIAMIN ROSENBERGER**, Gymnasii Dorpat. Director, dieb. Mart. et Iov. hor. X.—XI. 6) Locus Lectoris linguae *Esthonicae* vacuus est.
- II. Artium itidem magistri publici binis quisque horis gratis operam suam Studiosis dicabunt. Nam in *Hippodromo academico* modos equitandi ostendet **IUSTUS DE DAVE**, Consiliarii titulo ornatus, Artis equestris magister, dieb. Mart. et Merc., hor. VII—VIII. 2) *Arma tractandi* magister locus vacuus est. 3) *Saltandi artem* monstrabit **FELIX DE PELABON**, dieb. Mart. et Ven. hor. III—IV. 4) *Artem ichnographicam* docebit **CAROLUS SENFF**, Collegior. Assessor, Professor extraord., publice die Sat. hor. II—IV, privatim dieb. Lun. et Iov. hor. II—IV. 5) *Artem musicam* **NICOLAUS THOMSON** bis dieb. Merc. et Sat. hor. XI—XII. 6) *Operis mechanici* magistrum se offert **BENIAMIN POLITOUR**.

VI. INSTITUTA PUBLICA.

In *Seminario Theologico* R. HENZI, h. t. Director, una cum Professore Theologiae practicae, TH. E. LENZ, exercitationes practicas supra memoratas instituet et moderabitur, quater per hebd.

In *Noscomico academico* exercitationes clinicas diriget L. A. STRUVE; in *Instituto obstetricio* C. F. DEUTSCH; in *Instituto chirurgico* I. C. MOIER.

In *Seminario Paedagogico Philologico* scholas methodologicas et practicas supra memoratas habebunt Directores C. MORGENSTERN, I. V. FRANCKE, G. B. LAESCHE et B. PEREWOSTSCHIKOV, senis per hebd. horis.

Bibliothecam academicam aperiet dieb. Merc. et Sat., hor. II—IV, CAR. MORGENSTERN, Bibliothecae acad. Praefectus. Professoribus patet quotidie horis IX—XII. et II—IV. Si quis peregrinator Bibliothecam visere cupiet, Praefectum adibit.

Museum artis qui cupiunt videre, Directori C. MORGENSTERN indicabunt; qui *Museum zoologicum*, Directori C. F. LEDEBOUR; qui *mineralogicum*, Directori M. DE ENGELHARDT.

Apparatum Physices desiderantibus ostendet Director G. F. PARROT, *apparatum Chemiae* Director, GODOFR. OSANN.

Theatrum anatomicum desiderantibus monstrabit Director L. E. CICHORIUS, *Collectionem pathologicam* Dir. FR. PARROT, *Collectionem instrumentorum obstetric.* Dir. C. F. DEUTSCH, *Collectionem instrumentorum chirurg.* Dir. I. C. MOIER.

Collectionem formarum technologicarum et architectonicarum exhibebit Dir. I. G. KRAUSE, *militarium* Dir. F. G. C. DE ADERKAS.

Speculam astronomicam monstrabit Dir. G. STRUVE, *Collectionem in usum Mathesos applicatae comparatam* Dir. M. BARTELS, *Collectionem scholae ichnographicae* Dir. C. SENFF, *Hortum botanicum* Dir. C. F. LEDEBOUR.